Jacoby, Daniel
De Leibnitii studiis
Aristotelicis

DE LEIBNITII STUDIIS ARISTOTELICIS.
(INEST INEDITUM LEIBNITII).

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE II. M. FEBRUARII A. MDCCCLXVII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

DANIELIS JACOBY,

BORUSSUS ORIENTALIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ALEXANDER FUERST, MED. DR.

OTTO DAEKE, PHIL. STUD.

GUSTAVUS GLOGAU, PHIL. STUD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS FEICHT.

DE LEIBNITII STUDIIS ARISTOTELICIS.
(INEST INEDITUM LEIBNITII).

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE II. M. FEBRUARII A. MDCCCLXVII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

DANIELIS JACOBY

BORUSSUS ORIENTALIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ALEXANDER FUERST, MED. DR.
OTTO DAEKE, PHIL. STUD.
GUSTAVUS GLOGAU, PHIL. STUD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS FEICHT.

La vérité est plus répandue, qu'on ne pense.
Leibnit.

Ὁ δὲ σοφὸς καὶ καθ' αὑτὸν ὢν δύναται θεωρεῖν ... βέλτιον δ' ἴσως συνεργοὺς ἔχων.
Aristot.

PARS I.

INTRODUCTIO.

Exeunte media aetate, quum ingeniosorum virorum ope scientiae naturales et mathematicae artes nimium quantum excolerentur, scholastica philosophandi ratio, quae »*a monachalibus claustris cohibitis*« (cf. Leibnit. ad Thomas. p. 49 ed. Erdmann.) excercita in portentosas et latrantes quaestiones [1]) inciderat sed tamen per saecula pro sapientiae fastigio (Leibn. introd. histor. p. 91 Erd.) habebatur, exolevit. Quum enim homines »explicationem phaenomenorum per causas physicas haud a Deo et providentia abducere« [2]) naturamque ipsam esse consulendam intelligerent, scholastici qui »historiam et naturae et temporis maxima ex parte ignorantes« [3]) quasi alteri mundo sine ullo ad vitam usu (Leib. eod. l.) scripserant, in contemtum venere maximum; adeo ut cum antea illorum philosophia vel potius theologia principatum obtinuisset, tunc ejus vix »*in religiosorum conventibus reliquiae siti marcentes conservarentur*« (Leibn. de vera methodo p. 110 b. Erd.). — At vero cum rejecto abusu, ut fieri solet, utilia

---

1) Baco, de augm. scient. lib. I. p. 47. ed. Lugd. Bat. 1645.
2) Baco, l. c. III, 4.
3) Baco, l. c. lib. I. p. 45.

etiam rejiciebantur. Multi enim ex scholasticis cum veterum philosophorum doctrinas suis per vim saepe accomodassent, ut cum christianae fidei dogmatibus consentirent cumque ita veteres philosophos interpretationibus suis confusos ineptosque haud raro reddidissent mirumque in modum sensum doctrinarum Aristotelis Platonis depravassent, quid mirum, scholasticorum errores et ineptias veteribus esse imputatos, quos perpauci cognitos habebant?

Quo factum est, ut in Aristotelem, ad cujus nutum auctoritatemque saeculum nimis servile[4]) aque cogitatione propria desuefactum se converterat, homines illius temporis indigna inveherentur maledicentia, quamvis insontem vertiginosarum deceptionum imperiti alicujus claustralis (Leibn. de Stilo Nizol. p. 67 b.)

Ingenio quidem Baconi, cui relicta prorsus experientia »spatium scientiarum non confectum esse«[5]) nec naturam aliter quam parendo vinci posse[6]) erat persuasum, effectum est ut naturae investigationem observationemque per mediam aetatem neglectas homines rursus inirent, sed immodica experimentorum naturaeque »interpretationis«[7]) fiducia et viae idealis contemtu hominibus servitio liberatis aliud imminuit periculum, ne in nimiam inciderent licentiam. —

Aristoteli cum persuasum sit, naturam non nisi causae finali convenienter agere[8]) et entibus etiam infimis

4) „Si Aristotelem culpare praesumamus, quem amplius in hac arte recipiemus?“ Abaelard: cf. Ueberweg Grundriss II. 2. p. 36.

5) novum organum p. 85. Amstel. 1660.

6) eod. p. 19.

7) eod. p. 26. p. 34 aphor. 26.

8) postea uberius disseremus de hac re.

divinum aliquid consilioque conveniens inesse (de part. anim. 1, 5), Baconus odio quasi causarum finalium in-. quisitionem persequitur,[9]) etenim »»sterilis est et tamquam virgo Deo consecrata nihil parit,[10]) »causa finalis tantum abest ut prosit, ut etiam scientias corrumpat.[11]) »Formae enim commenta sunt animi humani.«[12]) Quapropter Bacono videtur »philosophia naturalis Democriti et aliorum, qui rerum particularium causas materiae necessitati sine intermixtione causarum finalium assignarunt, . . multo solidior fuisse . . quam Aristotelis et Platonis hanc unicam ob causam, quod illi in causis finalibus nunquam operam triverunt, hi autem eas perpetuo inculcarunt.«[13])

Baconus ita quasi dux fuit illorum, qui veteres contemtui obnoxios crederent, Aristoteles ex ejus sententia »philosophiam naturalem dialectica sua corrupit quia mundum ex categoriis effecerit . . et innumera alia pro arbitrio suo naturae rerum imposuerit, magis ubique sollicitus, quomodo quis respondendo se explicet et aliquid reddatur in verbis positivum quam de interna rerum veritate.« Aristotelis physica nihil aliud »quam dialecticae voces« plerumque sonat[14]) et »experientiam ad sua placita tortam circumducit et captivam.«[15]) Baco quamvis multa veteribus debuerit, —

---

9) Recte Goetheus de hac re cf. Geschichte der Farbenlehre opp 39, 124.

10) de augmentis sc. lib. III, 5. c. p. 267. ed. 1645.

11) novum org. II. p. 145. ed. 1660.

12) eod. I. aphor. 51. p. 46.

13) de augm. sc. p. 264. ed. 1645.

14) novum org. aphor. 63. p. 56. ed. 1660.

15) nov. org. aphor. 63. p. 57 ed. 1660.

quid enim? num ab alio quam ab Aristotele inductionem, quam contra illum jactat, recepit? — tamen Aristotelem non minus quam Platonem indigno tractat modo. Namque haud veretur dicere »philosophiae Aristotelis et Platonis tamquam tabulae ex materia leviore et minus solida per fluctus temporum servatae sunt.«[16]) Idem existimat »philosophiam naturalem, quam a Graecis accepimus, pueritiam quandam scientiae censeri atque habere id quod proprium puerorum est ut ad garriendum promta, ad generandum inhabilis et immatura sit.«[17]) »Itaque citetur Aristoteles pessimus sophista, inutili subtilitate attonitus, verborum vile ludibrium.«[18]) Jamvero si vir »ingenii divini« Leibnitio teste (cf. confession. naturae p. 45 Erd.) de Aristotele hac judicavit ratione, minime mirum, si alii ingenio multo inferiores modum prorsus excesserunt, veluti Nizolius in antibarbaro philosophico, quem 1553 scripsit, ita fere judicat immo vero dicit contumelias:[19]) »O bone Deus! quid hominis erat iste Aristoteles? Dispeream nisi arbitror ei decretum fuisse ut et se ipsum scribendis nugis et lectores eisdem legendis incassum fatigaret.« — Leibnitius in epistola quadam ad Remundium scripta (cf. Erd. p. 725 b.) se narrat puero discipulos cantasse: Summus Aristoteles Plato et Euripides ceciderunt in profundum. — Sed satis de testimoniis contemtionis antiquitatis hisce injucundis. Longe alienus ab illa certe erat Leibnitius, qui ex iis, qui Aristotelis μέσον

---

16) eod. I. aphor. 77. p. 76.

17) Cogitata et visa p. 585. ed. Lips: 1694.

18) Impetus philosoph. p. 738. ed. Lips.

19) lib. IV. p. 294. cf. Leibn. opp. ed. Dutens. tom. IV. p. 74.

semper servant, erat. »*Duplex,* inquit,[20]) *philosophantium seculum servile sc. quale barbarum illud sub scholasticis fuit, ubi et Aristoteli serviebant ipsi et Aristotelem vicissim in quibusdam sibi servire cogebant, tormentis quasi quibusdam ita eum excarnificantes, ne quid religioni suae christiane contradiceret, et nimium licentiosum, quale nostrum, cum ab uno extremo ad alterum homines delabuntur. Medium tenuere beati!*« — Et profecto talis erat Leibnitius. Qui quum omnes scientias tunc temporis excultas auimo complexus esset, metaphysicam autem primam duxisset, eo erat ingenio, ut veterum doctrinas cumque iis philosophiam ipsam ad honorem debitum restitueret. Primus ex philosophis recentioribus post Baconum doctrinas veterum haud esse judicandas ex depravatis scholasticorum quorundam dogmatibus, qui maculis meptiarum suarum veterum splendorem asper gebant, recte perspexit. »*E re philosophiae haud est vetera prorsus abjicere sed emendare potius,*«[21]) »*veterum enim philosophemata et firmant et promovent veritates vel renovatas vel nuper inventas.*«[22]) Quapropter tantum aberat ut Aristotelem Platonem Democritum contemneret, ut, quum veteres cum recentioribus conciliaret, virum magnum ardor doctrinas suas apud veteres inveniendi interdum deduceret in errores. — Ipse narrat in introductione historica scientiae generalis (p. 91 Erd.) se in veteres primum incidisse aversatumque fuisse recentiores sine

---

20) Leibnitiana ex otio hanoverano Felleri opp. VI, 311.
21) de stilo Nizol. p. 65. b. Erd.
22) ad Hanschium p. 445. a. Erd.

gratia sine nervis ac lacertis scribentes (91 a.), quum veterum cogitata mascula et ingentia et excitata et velut supereminentia rebus, dictionem autem naturalem et claram et profluentem et rebus parem invenisset. Neque aliter serius judicat, cum 5 annis ante vitae exitum Bierlingio[23]) scribit »*in universum sentio rectius et utilius dispici, quid in veteribus probandum et in usus nostros transferendum sit, quam quid reprehendendum. Nemo umquam clarus fuit, in quo non multa laudem mererentur. Video hodie juvenes hoc morbo laborare passim, ut de majoribus contemtim loquantur, credo ignorantiae vel potius negligentiae excusandae causa, ut jure illorum praeceptis carere videantur.*« Atque Christophorum Wolfium epistula quadam[24]) praedicat, quod veteres magni aestimarit. »*Tua*, inquit, *licet tacitus ut par erat eo magis aestimavi, quo pauciores esse hodie video, qui veterem doctrinam colant.*« Eadem mente Remundio scribit,[25]) se tempus si suppeditaret, esse comparaturum sua cum veterum dogmatibus, quo factum iri ut aurum in stercore latens in lucem prodiret et existeret perennis quaedam philosophia. At verba memoratu digna afferamus integra quae eo majore sunt momento, quo tunc temporis philosophiae historia paene neglecta fuit: »*Si j'en avais le loisir, je comparerais mes dogmes avec ceux des anciens. La vérité est plus répandue qu'on ne pense, mais elle est très souvent fardée et très souvent aussi enveloppée qui*

---

23) 1711. cf. opp. Dutens: tom V. p. 369.
24) opp. Dut: V. p. 447, anno 1711 script.
25) lettre III. apud Erd. p. 704, 1714 script.

la gâtent ou la rendent moins utile. En faisant remarquer ces traces de la vérité dans les anciens ou pour parler plus généralement dans les antérieures on tire ait l'or de la boue le diamant de sa mine et la lumière des ténèbres et ce serait en effet perennis quaedam philosophia.« — Itaque Leibnitius quamvis egregios suae aetatis viros, a quibus scientiae magnum accepere incrementum, aestimaret magni, tamen idcirco veteres haud temere rejecit. Etenim »*Pythagoram Democritum Platonem Aristotelem . . . tam diu colet posteritas, quamdiu memoria historiis et virtuti veneratio erit.*« [26]) Leibnitius ex Lessingii verbis ignem silice elicuit; deque eo contendere fas est, quod de Cartesio dixit »*praeclare in rem suam vertit aliorum cogitata,*« [27]) sed librorum usum haud dissimulavit, ut Cartesius fecit, qui omnia ex se ipso produxisse simulabat. [28])

Ex omnibus autem veteribus Aristotelem et saepissime eum laudasse et permultas Aristotelis sententias recepisse, nemo qui quidem Leibnitium lectum habuerit, vocabit in dubium. Quare haud inutile ducimus si ostendere conemur, quos Aristotelis libros Leibnitius cognitos habuerit, quam saepe ad illum spectarit, quibusque in rebus similitudo quaedam inter Aristotelis et ejus doctrinas intercedat. Quamvis enim caveamus sit necesse, ne in inveniendis doctrinis Leibnitii apud Aristotelem ultra progressi in devia deducamur, tamen Leibnitium haud paucas apud Aristotelem virtute quasi

---

26) notata quaedam circa vitam Cart. opp. Dut. V. 393.

27) eod. loco.

28) Leibnitiana opp. Dut. VI. 334. cf. réponse aux reflexions II. 249.

involutas evolvisse constat. Saepe latent philosophi sententiis, quae posteriores demum ad conscientiam disertam omnium perducunt. — Itaque tempus quo libri a Leibnitio scripti sunt, quibus ad Aristotelem spectat sequentibus, liceat si non copiose abundeque certe *ὡς τυπῳ περιλαβουσι* ostendere, quam in Aristotelis ingenium penetrarit profunde.

PARS II.

DE LIBRIS ANTE ANNUM 1671 SCRIPTIS.

Jam a puero Aristotelem legit, [1]) quia ut ipse narrat, in plerisque *αὐτοδίδακτος* fuit, [2]) operamque ei dedit maximam, ut illum coram intueri et compellare sibi visus sit. [3]) Postea demum quum scholas minores reliquisset, recentiores cognovit.[4]) Lipsiae autem quum animum ad studia adpelleret philosopha, permultum ad ejus eruditionem tunc annum sextum decimum agentis [5]) contulit Jacobus Thomasius vir philosophiae antiquae peritissimus, cui scholasticos Aristotelis sensum mire depravasse cognitum erat[6]) quique onmes veterum recessus lustrabat recentiorum inventa non aspernatus [7]) Leibnitius ad illum scribit epistula IV (opp. Dut. IV. 23) »*quid haec ad te qui semper ea rectitudine*

---

[1]) ad Remund: étant enfant j'appris Aristote. p. 701 Erd.

[2]) Imago Leibnitii Guhrauer. vita II. vol. app. p. 60. cf. ad Joann: Frider. 1673 scr. „Weil ich fast propria Speculatione philosophiam u. Jura lernen müssen . . . Guhr. „Deutche Schr." I, 277.

[3]) introd. historica p. 92 Erd.

[4]) ad Remund. p. 702 Erd.

[5]) scheda Leibnitii manu exarata: „1662 audivi Thomasium" cf. scheda. Guhr. vita vol II. p. 58 app.

[6]) Leibn. ep. ad. Thomas. p. 49 a. p. 54 b. Erd.

[7]) eod. p. 54 b.

judicii usus es, ut nec res a recentioribus inventas repudiares nec tamen terminos veterum innoxios et aptissimos in exilium pelli aequo animo ferres.« Semper discipulus quantum praeceptori debuerit sibi conscius est. »*Jngratus*, scribit Thomasio (p. 54 a Erd.), *sim, si tibi multa debere negem;«* atque epistula 1669 scripta patriae decus praedicat illum, a Thomasio primo »*integrum historiae philosophiae corpus*« expectat, quum plerique vitas potius (sc. philosophorum) quam sententias dederint (p. 48 a eod.) Anno etiam 1711 ad Ch. Wolfium scribit ita »*valde applaudebam olim juvenis Jacobo Thomasio, insigni viro, qui historiam non tantum philosophorum sed et philosophiae mihi tractare videbatur.*[8])« Atque eruditionem illam in mente Leibnitii haesisse, ex posteriore tempore colligi potest, quum causae finali vim tribuerit maximam doctrinamque protulerit de harmonia causarum efficientium et finalium. Ex scriptis etiam juvenilibus videre licet, Aristotelem eum haud contempsisse ut alii illius temporis, qui illum nunquam legerant.

Jam in dissertatione de principio individui 1663 sub praeside Jacobi Thomasii defensa[9]) quum originem controversiarum a scholasticis exercitarum exponeret[10]) ad Aristotelem etiam spectavit; quodque in corollario sexto legimus (Erdm. p. 5) „hominis solum una est anima, quae vegetativam et sensitivam virtualiter includat“ Aristotelis est: *οἷς μὲν γὰρ ὑπάρχει λογισμός τῶν*

---

[8]) opp. Dutens. tom. V. p. 447.

[9]) scheda apud Guhr. vita II. 58. app.

[10]) Guhr. vita vol I. p. 27.

φθαρτῶν τούτοις καὶ τὰ λοιπὰ πάντα cf. περὶ ψυχῆς II 3. τὴν μὲν οὖν θρεπτικὴν ψυχὴν ἀνάγκη πᾶν ἔχειν ὅτι περᾶν ζῇ καὶ ψυχὴν ἔχῃ ἀπὸ γενέσεως μέχρι φθορᾶς· αἴσθησιν δ'οὐκ ἀναγκαῖον ἐν ἅπασι τοῖς ζῶσι cf. eod. III. 12. p. 104 ed. Trendelenb.

Anno 1664 hieme[11]) specimen difficultatis ex jure defendit cujus adjumento ut ipse profitetur[12]) juri deditis „*contemtum philosophiae demere*" molitur. Ibidem Aristotelem affert in libro de caelo motam a Pythagoricis quaestionem explicuisse utrum dextrum caeli quippiam et laevum reperiantur. Inveniemus locum istum, si evolverimus libr. II. c. 2 περὶ οὐρανοῦ, quo Aristoteles ita dicit „ἐπειδὴ δέ τινες εἰσιν οἵ φασιν εἶναί τι δεξιὸν καὶ ἀριστερὸν τοῦ οὐρανοῦ καθάπερ οἱ καλούμενοι Πυθαγόρειοι . . . σκεπτέον πότερον τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον ὡς ἐκεῖνοι λέγουσιν ἢ μᾶλλον ἑτέρως." Pergit Leibnitius, cum caelum Aristoteli sumtum cum intelligentia sit instar animalis, dextrum etiam ipsi et sinistrum attribuisse eum; cf. Aristotelem qui caelum animatum esse intelligentiae capax et principium habere motus docuit, loco laudato: ἡμῖν δ' ἐπειδὴ ὥρισται πρότερον ὅτι ἐν τοῖς ἔχουσιν ἀρχὴν κινήσεως αἱ τοιαῦται δυνάμεις ἐνυπάρχουσιν, ὁ δ' οὐρανὸς ἔμψυχος καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχὴν δῆλον ὅτι ἔχει καὶ τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω καὶ τὸ δεξιὸν καὶ τὸ ἀριστερόν. Cf. etiam eth. nic. VI 7 καὶ γὰρ ἀνθρώπου ἄλλα πολὺ θειότερα τὴν φύσιν οἷον φανερώτατά γε ἐξ ὧν ὁ κόσμος συνέστηκεν cf. metf. λ 8. —

Porro disputationem anno 1666 habuit arithme-

---

11) scheda l. c.

12) opp. Dutens. tom. IV. p. 68. pars III.

ticam de complexionibus »pro loco in facultate«[13]) atque in corollario quarto dissertationis definitionem justitiae Aristoteleam defendit contra Grotium. Leibnitius autem adolescens jam philosophiae juri operam dedit »*nam,*« Arnaldo scribit, »*et rem moralem et juris atque aequi fundamenta paulo certius clariusque solito constituere conari, ipsum me vitae genus jussit;*[14])« atque ad Joannem Fridericum 1671 scribit, »*weil mich die Begierde so ich von Jugend auf gehabt in diesen Sachen auf den Grund zu kommen....*[15])« — Nec pauca quae apud Aristotelem inveniuntur, Leibnitius aut recepit aut in suam vertit sententiam, de qua re infra etiam agemus. Jpse anno 1715 epistula quadam ad Cortholtium data[16]) declarat »*mihi quae de justitia* (in ethicis) *habet Aristoteles, olim non mediocriter placuere.*« — Definitio quam anno 1666 dedit quamque ex fonte Aristoteleo fluxisse ipse declarat tempore, quo »peripateticae scholae recens«[17]) fuerit, ex analogia aliarum virtutum quae medium (μεσότητα) inter nimium et parum (ὑπερβολὴν ἔλλειψιν eth. nic. II. 5) tenent, est inventa.« »*Justitia*[18]) *(particularis) est virtus servans mediocritatem circa affectus hominis erga hominem juvandi et nocendi, seu favorem et odium; regula mediocritatis est licere eo usque alterum (me) juvare quo usque (alteri) tertio non nocetur.*« — Aristoteles vero de justitia particulari ut

13) cf. scheda. vita a Guhrauero descripta vol. II. p. 59. append.
14) epist. I. p. 143. ed. Grotefend.
15) Guhrauer: „Deutsche Schriften“ vol. I. p. 266.
16) opp. Dutens: tom. V. p. 329. epist. 27.
17) apud Trendelenburg: „historische Beiträge.“ II. 276.
18) de arte combinat. p. 43. Erd, Dut: III, 10.

postea videbimus, aliter tractavit. Grotius quidem contenderat in libro de jure belli et pacis, virtutem ab Aristotele haud recte in mediocritate esse positam, ex justitia apparere, cui oppositum nimium et parum quum in affectibus invenire nequisset, in rebus ipsis circa quas justitia versetur utrumque quaesivisse, id quod esse desilire de genere in genus alterum. Leibnitius autem tuetur Aristotelem quum justitiam mediocritatem affectuum esse definiat, »*Grotius*, ait, *incongrue vult in speciebus divisionis alicujus aliquam interseri, quae ex alio prorsus dividendi fundamento derivetur, quod vocat minus philosophice μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος* . . .«

Aristoteles in *ἀναλ. ὑστερ.* I., 23 p. 84 Becker. praecipit termini in eodem ut sint genere, non enim licere ex uno genere in aliud genus transferre ea quae demonstrantur: *ἐν μέντοι τῷ αὐτῷ γένει ἀνάγκη τοὺς ὅρους εἶναι . . οὐ γὰρ ἦν ἐξ ἄλλου γένους εἰς ἄλλο διαβῆναι τὰ δεικνύμενα.* —

Vix juvenilem inierat aetatem, quum libellum[19]) qui inscribitur nova methodus discendae docendaeque jurisprudentiae ederet in lucem, ex quo juris studium philosophiae adjumento profundius eum investigasse patet.

Ibidem in catalogo desideratorum philosophiam juris numerat[20]) nec quum in juris studio methodum subtiliorem gravioremque desiderari ostendisset, contemptores pertimuit: »*veniet fortasse aliud tempus di-*

---

[19]) anno 1667, natus 1646.
[20]) ed. Ch. Wolf. 1748 p. 142.

gnius nostro quo debellatis odiis veritas triumphabit.«[21]) Quae in libro illo vestigia Aristotelica videre nobis videamur partim hic partim alio indicabimus loco. — Initio statim operis (pars I. § 2) definitio habitus ad Aristotelis ἕξιν vocat.

Definit Leibnitius quidem, *agendi promtitudinem adquisitam permanentem.*

Aristoteles in qualitatis speciebus refert ἕξιν et διαθεσιν habitum et dispositionem, quarum διαθεσις mutabilis et transiens, ἕξις autem permanens est et tamquam actus habentis et habiti .. ita et vestem habentis et vestis habitae est medius habitus *οἷον ἐνέργειά τις τοῦ ἔχοντος καὶ ἐχομένου .. οὕτω καὶ τοῦ ἔχοντος ἐσθῆτα καὶ τῆς ἐχομένης ἐσθῆτος ἔστι μεταξὺ ἕξις.*[22]) Cum autem a materia prorsus sit aliena, non ut διαθεσις ipsa contraria e se gignere potest, itaque ἕξις ἐνεργειᾳ quam δυναμει propior.[23]) Cf. eth. nic. V., 1. Sic Aristoteli virtus est ἕξις (eth. nic. II. 6), quae ex multis actionibus saepeque iteratis profluit. Ac praeclare quidem a Leibnitio ἕξις Aristotelis alio loco[24]) reddita est »status confirmatus . . . confirmatus inquam non ut mutari non possit sed non facile ut possit. Cf. etiam adnotationes 1670 scriptas in Marii Nizolii Antibarbarum, ubi ad »Aristotelomastigis«[25]) verba »habitus est affectio exercitatione ita confirmata et manens ut nisi magna cum difficultate mutetur« ad-

---

21) eod. p. 143.

22) Arist. metaph. IV, 20.

23) Trendelenburg: de anima comment. p. 311.

24) apud. Trendelenb. „hist. Beitr.“ II. 265; de quo loco infra etiam.

25) de stilo Nizolii p. 68 b. Erd.

notat *»idem et vult et dicit Aristoteles. Habitum enim vocat non ἀκίνητον sed δυσκίνητον«* [26])

Jam quum postea exponere nobis proposuerimus, quantopere Leibnitius adolescens logicae Aristoteleae se dederit, hic tantum afferamus, in § 34 novae meth, (p. 19 ed. Wolf.) mentionem eum facere logicae *»post Metaphysicam nobilissimae scientiarum ab Aristotele ad Mathematicorum formam demonstrative traditae.«* — Cognitionis Aristotelicarum doctrinarum testimonia alia non desunt. Ex libro quinto ethicae Aristotelis, quem in iis qui »circa jus naturae philosophati sunt« (nova method. § 71 p. 103 Wolf.) numerat, principia juris naturalis apud Leibnitium in nova etiam methodo inveniri videbunus infra. Hic primum de § 70 (p. 101 ed. Wolf.) dicemus, ubi de principiis decidendi verba facit, *»quae sunt ratio ex jure naturae et similitudo (ἀναλογον) ex jure civili certo.«* Omne namque jus civile esse magis facti quam juris, quia probandum sit ex historia seu facto non ex natura rerum, unde patere legem ex conventione populi valere; cumque, pergit,[27]) certi juris sit, in iis ubi pactum non intercessit obtinere jus merum, patet in iis casibus, de quibus lex se non[28]) declaravit, secundum jus naturae esse judicandum. — Quod jus naturale jurisconsulto necessarium esse docet, quum in pelago casuum singulorum magnetis munere fungatur. — Sic Aristoteles *δόξαν τῶν πολλῶν* legem nominat, cf. *σοφ. ἐλεγχ* c. 12

---

[26]) opp. Dut. IV, 74.

[27]) p. 100 ed. Wolf. §. 70 pars. II.

[28]) errore videlicet typographico apud Wolf: „lex se declaravit;“ recte apud Dut. tom IV. pars III. p. 211.

p. 173a. 10. ὁ μὲν γὰρ νόμος δόξα τῶν πολλῶν, οἱ δὲ σοφοὶ κατὰ φύσιν . . λέγουσιν. Aristoteles enim, ut jam explicemus hic, jus civile aliud naturale esse aliud legitimum docet, naturale ubique gentium idem valere neque decreto carere, legitimum autem ab initio hoc an illo modo fiat nihil referre, sed tunc demum, cum fuerit constitutum eth. nic. V. 10 p. 1134b. τοῦ δὲ πολιτικοῦ δικαίου τὸ μὲν φυσικόν ἐστι τὸ δὲ νομικόν, φυσικὸν μὲν τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή νομικὸν δὲ ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐδέν διαφέρει οὕτως ἢ ἄλλως, ὅταν δὲ θῶνται, διαφέρει. Cf. rhet. I, 15 οὐδ' ὁ κοινὸς (μεταβάλλει) κατὰ φύσιν γάρ ἐστιν, οἱ δὲ γεγραμμένοι πολλάκις. eth. nic. VIII. 15 . . . . δίκαιόν ἐστι διττόν τὸ μὲν γὰρ ἄγραφον τὸ δὲ κατὰ νόμον. Etin rhetoricis legem propriam singulis inter ipsos definitam et communem secundum naturam distinguit, esse enim quoddam quod augurentur omnes natura commune justum et injustum, etsi neque societas sit neque pactio. Rhet. I., 13 λέγω δὲ νόμον τὸν μὲν ἴδιον τὸν δὲ κοινόν, ἴδιον μὲν τὸν ἑκάστοις ὡρισμένον πρὸς αὑτούς, κοινὸν δὲ τὸν κατὰ φύσιν. ἔστι γὰρ ὃ μαντεύονταί τι πάντες φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ μηδὲ συνθήκη οἷον καὶ ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη φαίνεται λέγουσα . . κ. τ. λ.

Deinde nonne Aristotelis memoriam afferunt, quae Leibnitius de *Εὐδαιμονίᾳ* tamquam fine reipublicae ita dicit:[29]) »*Bonum civium consistit in εὐδαιμονίᾳ et αὐταρκείᾳ seu bonis animi et fortunae.*«

Item Aristoteles civitatem nascentem quidem vi-

---

[29]) §. 76 nova meth. p. 109 ed. Wolf.

vendi causa, constantem autem perfecte (εὖ) vivendi gratia eam demum esse ait, quae vitae omnibus civibus perfectae suisque bonis per se contentae gratia sit comparata. Pol. I., 2 ἡ πόλις γινομένη μὲν οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκα οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν; III, 9: .. ἀλλ' ἡ τοῦ εὖ ζῆν κοινωνία καὶ ταῖς οἰκίαις καὶ τοῖς γένεσι ζωῆς τελείας χάριν καὶ αὐτάρκους cod. p. 1280 b. 5. .. περὶ δ'ἀρετῆς καὶ κακίας πολιτικῆς διασκοποῦσιν, ὅσοι φροντίζουσιν εὐνομίας. Tunc demum εὐδαιμονία, quacum αὐτάρκεια necessario est conjuncta (τέλειον δή τι φαίνεται καὶ αὔταρκες ἡ εὐδαιμονία eth. nic. I., 5.) existit finemque, quem natura praescripsit, assecuti sumus. — *Ad Εὐδαιμονίαν seu virtutem* (cf. Arist. I., 6 eth. ψυχῆς ἐνέργεια κατ' ἀρετήν) *pertinere*, pergit Leibnitius (§. 76) *omnes ordinationes politicas imprimis quibus educatio et conversatio tamquam principia malorum et bonorum morum formentur, ad αὐταρκειαν leges de commerciis.* —

Hic statim ex specimine Germanice scripto „Vom Naturrecht“ (Guhr. „D. Schriften“ I., 414) nonnulla inseramus, quae nemo ex fonte Aristotelico esse negabit. Ita fere dicit »*Die Gerechtigkeit ist eine gemeinschaftliche Tugend oder eine Tugend, so die Gemeinschaft erhält*« .. cf. Arist. eth. nic. 5, 3: τελεία δέστὶν (ἡ δικαιοσύνη) ὅτι ὁ ἔχων αὐτὴν καὶ πρὸς ἕτερον δύναται τῇ ἀρετῇ χρῆσθαι, ἀλλ' οὐ μόνον καθ' αὑτόν ... καὶ ἀλλότριον ἀγαθὸν δοκεῖ εἶναι μόνη τῶν ἀρετῶν, ὅτι πρὸς ἕτερον· ἄλλῳ γὰρ τὰ συμφέροντα πράττει. .... Leibnit: »*Die vollkommenste Gemeinschaft ist so die Natur haben will. Die Zeichen daraus man schliessen kann, dass die Natur etwas will, sind wenn uns die Natur eine Begierde gegeben und Kräfte oder Wirkung*

solche zu erfüllen: denn die Natur thut Nichts vergebens.«

Sic Aristoteles, civitatem prius esse quam domum et unum quemque nostrum, civitatem in iis esse numerandam rebus, quae natura constant et hominem civile esse animal natura magis quam quamvis apem, nihil enim frustra facere naturam »*καὶ πρότερον δὴ τῇ φύσει πόλις ἢ οἰκία καὶ ἕκαστος ἡμῶν ἐστίν, — φανερὸν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστί .. διότι δὲ πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον πάσης μελίττης καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον δῆλον, οὐδὲν γὰρ ὡς φαμὲν μάτην ἡ φύσις ποιεῖ λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζῴων.* Pol. I., 2.

Jam vero Leibnitius eodem loco tres esse societates statuit ac primam quidem nuptialem, alteram quae inter parentes liberosque, tertiam quae inter herum servumque intercedat; quartam iis adjungit oeconomiam. Aristoteles pariter: .. »*ταῦτα* (sc. *τρία μέρη*) *δ'ἐστὶ δεσποτικὴ καὶ γαμικὴ καὶ τρίτον τεκνοποιητική .... ἔστι δέ τι μέρος ὃ δοκεῖ τοῖς μὲν εἶναι οἰκονομία κ. τ. λ.* — At singula consideremus:

»*Die erste natürliche Gemeinschaft ist zwischen Mann und Weib, den die ist nöthig das menschliche Geschlecht zu erhalten«* et in divisione societatum (p. 418 eod. l.) »*Mann und Weib sind durch die Natur zu Freundschaft und Lebenshülfe auf eine brüderliche Weise verbunden. Desgleichen Eltern und Kinder und auch Verwandte und Gemeine, als welche Kundschaft mit einander haben.« — Die andre zwischen Eltern und Kindern; sie enstehet nächst aus der vorhergehenden: denn wenn die Kinder einmal gezeugt oder doch freiwillig angenommen, müssen sie erzogen werden, das ist*

regieret und ernährt. — Cf. Aristotelem (eth. eudemic. H. 10 p. 1242 a.) »hominem esse animans communicabile erga ea quibuscum naturalis cognatio illi intercedit *ἀλλὰ κοινωνικὸν ἄνθρωπος ζῷον πρὸς οὓς φύσει συγγένεια ἐστιν* — cf. oecon. I. 3: *τῶν περὶ τοὺς ἀνθρώπους ἡ κατὰ γυναῖκα πρώτη ἐπιμέλεια· κοινωνία γὰρ φύσει τῷ θηλεῖ καὶ τῷ ἄρρενι μάλιστ' ἐστίν . . . οὐ μόνον τοῦ εἶναι ἀλλὰ καὶ τοῦ εὖ εἶναι συνεργὰ ἀλλήλοις τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν ἐστιν.* pol. I. 12: . . *καὶ γὰρ γυναικὸς ἄρχειν καὶ τέκνων ὡς ἐλευθέρων μὲν ἀμφοῖν . . ἀλλὰ γυναικὸς μὲν πολιτικῶς τέκνων δὲ βασιλικῶς* cf. eth. nic. VIII. 12 *ἡ μὲν γὰρ πατρὸς πρὸς υἱεῖς κοινωνία βασιλείας ἔχει σχῆμα.* — Pergit Leibnitius ita: »*Die dritte natürliche Gemeinschaft ist zwischen Herr und Knecht, welche der Natur gemäss, wenn eine Person Mangel an Verstand hat, nicht aber an Kräften sich zu ernähren.* (p. 415 l. c.) *Denn eine solche Person ist ein Knecht von Natur, welcher arbeiten muss, wie es ihm ein Anderer vorschreibt . . . den alles, was der Knecht ist, ist er seines Herrn wegen, dieweil alle ander Krafte nur des Verstandes wegen sein. Nun ist der Verstand im Herrn, alle andern Kräfte aber nur im Knechte.* Aristotelem audiamus (pol. I., 5, p. 1254 b.) *ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος ὁ δυνάμενος ἄλλου εἶναι (διὸ καὶ ἄλλου ἐστίν) καὶ ὁ κοινωνῶν λόγου τοσοῦτον ὅσον αἰσθάνεσθαι ἀλλὰ μὴ ἔχειν* . . cf. l. 4. eod. *ὁ γὰρ μὴ αὑτοῦ φύσει ἀλλ' ἄλλου, ἄνθρωπος δὲ οὗτος φύσει δοῦλός ἐστιν . . . ἐν οἷς φανερὸν ὅτι κατὰ φύσιν καὶ συμφερὸν τὸ ἄρχεσθαι . . τῷ παθητικῷ μορίῳ ὑπὸ τοῦ νοῦ καὶ τοῦ μορίου τοῦ λόγον ἔχοντος.* Aristoteli servus pars est domini *τὸ μόοιον οὐ μόνον ἄλλου ἐστι μόριον ἀλλὰ καὶ ὅλως ἄλλου*

pol. I. 4. Leibnitius quidem etsi servitudinem esse contendere dubitat, qua servus domini gratia prorsus sit — *Zweifl ich ob ein Exempel einer solchen Knechtschaft, darin der Knecht gänzlich sei umb des Herrn willen, zu finden* — tamen *in summa*, inquit, *die natürliche Knechtschaft hat gegen unverständige Menschen statt, sofern sie nicht durch die Regeln der Gottesfurcht beschränkt wird.*« Eadem mente anno etiam 1711 Bierlingio scribit:[30]) »Concedo insipientes cogi debere imperio, atque id est quod Aristoteles voluit quum quosdam dixit naturae servos.« — *Die vierte natürliche Gemeinschaft ist die Haushaltung so aus obgemeldeten Gesellschaften, etlichen oder allen zusammengesetzet. Ihr Absehen ist die tägliche Nothdurft. Die fünfte natürliche Gemeinschaft ist die bürgerliche Gemeinschaft (. . . um zur Glückseligkeit eher zu gelangen). — Ihr Absehen ist zeitliche Wohlfahrt.* — Et hic Aristotelem afferamus pol. I, 3 *ἔστωσαν δ'αὗται τρεῖς ἃς εἴπομεν, ἔστι δέ τι μέρος ὃ δοκεῖ τοῖς μὲν εἶναι οἰκονομία τοῖς δὲ μέγιστον μέρος αὐτῆς* cf. I. 8. *τῆς δὲ* (*οἰκονομικῆς*) *τὸ χρήσασθαι.* Item Aristoteles, civitatem constare ex domibus, domum e tribus illis partibus quas commemoravimus. pol. I, 3 *πᾶσα πόλις ἐξ οἰκιῶν σύγκειται . . μέρη οἰκίας δεσπότης καὶ δοῦλος, καί πόσις καὶ ἄλοχος, καὶ πατὴρ καὶ τέκνα.* De *κοινωνίας* autem *εὐδαιμονίᾳ* jam supra disseruimus.

Postremo Leibnitius affert societatem sextam: »*Die Kirche Gottes . . Ihr Absehen ewige Glückseligkeit*« idquod alienum ab Aristotele est, quum Leibnitius justi-

---

30) epistol. II. cf. Dutens. opp. V. p. 387.

tiae non solum ethica verum etiam theologica admiscuerit principia.[31]) Quam ob rem seriore aetate ethicam Aristotelis non perfectam esse statuit (cf. Ineditum infra).

Jam in scriptis, quae nunc sequuntur, id agit noster, ut contra recentiores, qui »*phaenomena naturalia seu ea quae in corporibus apparent*[32]) *Deo non supposito explicari posse*" putabant, demonstret rationem mechanismi haud »in mathematicis physicisque legibus« inveniri; similiter atque Aristoteles materialismum naturalistarum antiquorum oppugnat, qui elementa solum corporum posuerint, incorporeorum vero minime, quum etiam incorporea sint. metaph. I, 8 *τῶν γὰρ σωμάτων τὰ στοιχεῖα τιθέασιν μόνον τῶν δ' ἀσωμάτων οὔ, ὄντων καὶ ἀσωμάτων καί . . . περὶ πάντων φυσιολογοῦντες τὸ τῆς κινήσεως αἴτιον ἀναιροῦσιν.* Quam ad rem Leibnitium autoritate Aristotelis vehementer esse excitatum, haud dubium est. — Evincit autem »confessione naturae contra atheistas« 1668 scripta ex corporum natura, si extensio sola essentiam corporis efficiat, rationem reddi non posse certae in iis figurae et magnitudinis; ex natura quidem corporis mobilitatem oriri nos videre, sed non ipsum motum. Cujus rei expositio cum demonstratione Aristotelea primi motoris similitudinem habet maximam. »Si dicunt corpus propositum motum esse ab aeterno non apparet cur non potius quieverit ab aeterno, sin ab alio moto corpus moveri dicunt idque iterum ab alio in infinitum referunt rationem« (Aristotelis *βαδιεῖται* / *εἶσι* } *εἰς ἄπειρον*). Ens

---

31) cf. Trendelenburg: „hist. Beitr." II. 247.
32) Confessio p. 45 Erdm.

igitur incorporale causa motus est et apparet in »*extrema corporum resolutione Dei auxilio carere naturam non posse.* Eodem modo Leibnit. in considerationibus, quas inscripsit »sur le principe de vie:«[33]) »*Cette maxime . . qu'il n'y à point de mouvement suivant les règles méchaniques nous mène au premier moteur.*« Sic Aristoteles demonstrat, si omne quod movetur ab aliquo moveri necesse sit, movens aliquod primum est, quod ab alio non moveatur, aliter in infinitum proficisceremur. *φυσ. ἀκροασ.* Q. 5. p. 256. *εἰ ἀνάγκη πᾶν τὸ κινούμενον ὑπό τινος κινεῖσθαι . , ἀνάγκη τι εἶναι κινοῦν ὃ οὐχ ὑπ' ἄλλου πρῶτον . . ἀδύνατον γὰρ εἰς ἄπειρον ἰέναι τὸ κινοῦν καὶ τὸ κινούμενον ὑπ' ἄλλου αὐτό· τῶν γὰρ ἀπείρων οὐκ ἔστιν οὐδὲν πρῶτον . . .* cf *περὶ οὐρανοῦ Γ.* p. 2. p. 300.*εἰς ἄπειρον γὰρ εἶσιν εἰ μήτι ἔσται κατὰ φύσιν κινοῦν πρῶτον. περὶ φυσ. ἀκ.* B. 7. p. 198. *εἴτι κινεῖ μὴ κινούμενον ὥσπερ τό τε παντελῶς ἀκίνητον καὶ τὸ πάντων πρῶτον.* Sic in metaphysica *λ.* VIII, c. 8, p. 1074 a. primum movens immobile ens est *πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον ὄν.*

Leibnitio quum ita ex solo materiali principo (confessio p. 46) harmoniam naturae fluere non potuisse esset persuasum hujusque rei Aristotelem haberet et propugnatorem et excitatorem, epistula ad Jacobum Thomasium 1669 scripta iterum iterumque declarat, »*philosophiam reformatam conciliari*« (p. 49 Erdm.) *Aristotelicae et posse et debere.* Eadem epistula eos qui Aristotelem rejiciant valde vituperat tantumque abest, ut philosophiae Cartesianae tunc temporis omnibus

[33]) Anno 1705. apud Erd. p. 430 b.

acceptae sit addictus, ut dicere non vereatur (p. 48b.) plura se probare in libris Aristotelis *περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως* quam in meditationibus Cartesii. Etenim quod ad Cartesium, abunde est demonstratum,[34]) Leibnitium haud umquam fuisse Cartesianum; nedum hac aetate, quum Leibnitius Cartesium legisse tardius sibi gratuletur[35]) et Aristotelem, ut ostendere studuimus, a pueris habuerit cognitum. Ipse in specimine 1695 scripto[36]) Aristotelem fatetur se quasi sub imperio habuisse. In nostra autem epistula in Cartesio ait »*methodi tantum propositum*« se amare (p. 48 b.) et ad eum spectant maxime verba haec (49 p.): »*ex Aristotelicis principiis fluere ea ipsa, quae a recentioribus tanta pompa jactantur*« etenim exiguam veterum curam immo contemtum eorum palam habitum (p. 52 b. epist.) ei exprobrarat, saepiusque aliis etiam locis Cartesium dicit librorum usum celasse.[37]) Honorato Fabrio qui Leibnitium ab Aristotele alienum putavit et Cartesii exemplo impulsum Leibnitium hypothesin novam physicam comminisci voluisse (C. J. Gerhardt, Leibn. mathem. Sch. 2, p. 83, p. 84) scribit haud multo post annum 1676 (cf. Gerhardt l. c. p. 7): ». . . *nec ab Aristotele sum alienus nec in Democritum adeo propensus, nec*

---

34) a Trendelenburg. „histor. Beitr.“ II. 193 et seq.

35) Trendel. l. c. p. 232.

36) système nouveau de la nature: „lorsque je m'étais affranchi du joug d'Aristote . . . p. 124 Erd.

37) cf. supra; cf. réponse aux reflexions 1697 sc., opp. tom. II, 249 il est vrai que Mr. Descartes a usé bien d'artifice pour profiter des decouvertes des autres sans leur en vouloir paraître redevable Leibnitiana VI. p. 334 „Mr. Desc. a voulu passer pour . . avoir tout produit de son fond.“

Cartesii exemplo neque meo ingenio ad Hypothesin pro arbitrio fingendam proclivis.» . . Tantum vero abest ut exemplo ejus (i. e. Cartesii) novam Hypothesin fingere voluerim, ut contra sim arbitratus Hypothesibus quoad ejus fieri potest abstinendum esse, Hypothesibus, inquam, arbitrariis, qualis non est mea.«

Ut revertamur ad epistulam, Leibnitius octo illos libros physices Aristotelis et tota Metaphysica Logica et Ethica laudibus effert, quae scripta »nemo fere sanus in dubium vocabit« (p. 49 a.). Et Thomasio quidem sententiam suam exponit de conciliatione Aristotelis recentiorumque id est mechanismi et Aristotelis philosophandi rationis, causam finalem in natura constituentis »*motus enim omnis principium mens quod et Aristoteli recte visum* (p. 52 a.). Quae Aristoteles de materia forma mutatione disserit explicanda esse censet per magnitudinem figuram motum, ut pateat »*vix quicquam in physica Aristotelica esse, quod ex reformata non commode illustretur*« (p. 51 a.); mentem autem, materiam spatium et motum sufficere ad explicanda mundi phaenomena et causas eorum (53 a.). Naturae quidem ordinem — cf. Arist. phys. 8, 1 p. 252 a. *ἀλλὰ μὴν οὐδέν γε ἄτακτον τῶν φύσει καὶ κατὰ φύσιν, ἡ γὰρ φύσις αἰτία πᾶσι τάξεως, τάξις δὲ πᾶσα λόγος* — Leibnitius etiam a mente derivat divina, non a caeca necessitate aut casu ita ut natura illi »horologium Dei« (55 b.) sit,, hinc illud axioma »*Natura nihil facit frustra*« (eod.) cf. Aristotelem de caelo I, 4 *ὁ θεὸς καὶ ἡ φύσις οὐδὲν μάτην ποιοῦσιν*| cf. de part. animal. III, 12. p. 694 a. *οὐδὲν γὰρ μάτην ἡ φύσις ποιεῖ*, de anima III, 12 *εἰ μηδὲν μάτην ποιεῖ ἡ φύσις, ἕνεκά του γὰρ πάντα ὑπάρχει τὰ φύσει.*

phys. II, 7 p. 198 *ἐπεὶ ἡ φύσις ἕνεκά του.*[38]) cf. pol. 1, 2 supra.

»*Hinc*, pergit, *materia appetit formam nobiliorem*,« id quod spectat ad Aristotelis phys. I, 9, materia enim forma inferior se conformat ad illam, cum naturam ejus appetat.[39]) — Longum est singula, quae in epistula extant afferre, haec tantum paucis addamus. Primum quidem agit de materia, quam ens esse docet ante omnem formam quum habeat existentiam suam (p. 49 Erd.). Sic Aristoteles materiam per se omni forma qualitateque carere censet, neque esse *τόδε τί* metaph. 7, 13 *ὥστε τὸ ἔσχατον καθ' αὑτὸ οὔτε τι οὔτε ποσὸν οὔτε ἄλλο οὐθέν ἐστιν.* Neque Aristotelis existentiam materiae prorsus negat, quum potentia (*δυναμει*) existat et pervenire possit ad formam *ἔτι ἡ ὕλη ἐστὶ δυνάμει ὅτι ἔλθοι ἂν εἰς τὸ εἶδος, ὅταν δὲ γ'ἐνεργείᾳ ᾖ, |τότε ἐν τῷ εἴδει ἐστίν.* metaph. v. VIII, 8. p. 1050 a. — Deinde Leibnitius de origine formarum ex potentia materiae (50 a.) facit verba. Ex Aristotelis mente, ut jam dicamus, est etiam existentia secundum privationem (*στερησις* metaph. 10, 4) id est existentia imperfecta, ex qua actu (*ἐνεργειᾳ*) formae perfectae evolvantur. Qualis est ma-

---

38) Omne, Aristoteles ait, quod fit ad principium finemque progreditur, cujus causa enim est principium, generatio vero finis gratia est, finis actus est hujusque gratia sumitur potentia. Non enim ut visum habeant animalia vident sed ut videant visum habent. metaph. 8, 8 p. 1050 a *ἅπαν ἐπ' ἀρχὴν βαδίζει τὸ γιγνόμενον καὶ τέλος. ἀρχὴ γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα, τοῦ τέλους δ' ἕνεκα ἡ γένεσις. τέλος δ' ἡ ἐνέργεια καὶ τούτου χάριν ἡ δύναμις λαμβάνεται, οὐ γὰρ ἵνα ὄψιν ἔχωσιν ὁρῶσι τὰ ζῶα, ἀλλ' ὅπως ὁρῶσιν ὄψιν ἔχουσιν.*

39) cf. G. Schneider. causae finalis quae sit apud Arist. vis . . . dissert inaug. p. 26.

teria, in qua potentia sita est et *μορφη* et *στερησις*, ita ut privatio realem significet negationem,[40]) qualis nox est *στερησις* luminis (metaph. 12, 1). Quam ob rem Leibnitius Aristotelem explicans formas oriri ex potentia materiae dicit non aliquid novum producendo, sed tantum vetus tollendo; — cujus sententiae vestigia in nova etiam Leibnitii doctrina postea prolata facile deprehenderis — formae autem oriantur necesse esse per motum, omnem enim dispositionem ad formam esse motum. Spectat nimirum ad Aristotelis *κίνησιν*, quae potentiam (*δυναμιν*) ad perfectam finique convenientem formam (*ἐντελεχειαν*) perducat eamque ob causam imperfecta quaedam sit *ἐνεργεια* quum in *ἐνεργείᾳ* quidem finis jam effectus sit, non vero in *κινησει*. Arist. phys. III, 1 *ἡ τοῦ δυνατοῦ ᾗ δυνατὸν ἐντελέχεια φανερὸν ὅτι κίνησίς ἐστιν*, cf. phys. *θ*, 1; phys. III, 2 *ἥτε κίνησις ἐνέργεια μέν τις εἶναι δοκεῖ, ἀτελὴς δέ.*

Tum Leibnitius exponit, mutationes quae enumerentur augmentationem, diminutionem, alterationem et mutationem localem seu motum per motum localem solum secundum recentiores posse explicari (p. 40, 5[1]) ex. gr. sola figurae situsque in superficie mutatione colores oriri. — Aristoteli *κινησις*, quae perfectam formam et imperfectam materiam conjungit, conditio naturae est, qua ignorata natura etiam ignoratur phis. III. 1 p. 200 b. *ἀναγκαῖον ἀγνοουμένης αὐτῆς ἀγνοεῖσθαι καὶ τὴν φύσιν*. *Κινησις* autem latiore sensu sumta, quae mutationis (*μεταβολη*) notioni proxima est, species ha-

---

40) cf. Trendelenburg. „hist. Beitr.“ I. p. 108.

41) cf. Trendelenburg. comm. de anima p. 304 „hist. Beitr.“ I. p. 160.

bet secundum tres categorias. Est enim *κατὰ τὸ ποσὸν* (seu *μέγεθος* phys. 8, 7 !p. 260) *αὔξησις* augmentatio et *φθίσις* diminutio, *κατὰ τὸ ποιὸν* (seu *παθητικὸν* phys. V (ε) 2 p. 226 a. *πάθος* phys. VIII., 7 p. 260) *ἀλλοίωσις* alteratio, *κατὰ τόπον* phys. eod. (seu *τὸ ποῦ*) *φορὰ* motus localis. Cf. metaphys. *λ.* initio . . . *αὔξησις δὲ καὶ φθίσις ἡ κατὰ τὸ ποσόν, ἀλλοίωσις δὲ ἡ κατὰ τὸ πάθος, φορὰ δὲ ἡ κατὰ τόπον* . . . . Quem motum localem (seu lationem) primum motuum (*φύσει πρότερον*) — cf. met. *λ.* p. 248 ed. Brandis. 1823) *φορὰ γὰρ ἡ πρώτη τῶν μεταβολῶν* — conditionemque esse realem aliorum, Aristoteles ostendit in phys. VIII., 7 p. 260. Fieri namque non posse ut augmentatio sit nisi alteratio antecedat, at vero si alteretur, sit id necesse esse quod alteret, patere autem id quod moveat interdum esse propinquius ei quod alteretur interdum remotius, at haec sine latione esse nequire *ταύτην* (i. e. *φορὰν*) *ἀναγκαῖον εἶναι πρώτην* . . . *ἀδύνατον γὰρ αὔξησιν εἶναι ἀλλοιώσεως μὴ προυπαρχούσης* . . . *ἀλλὰ μὴν εἴγε ἀλλοιοῦται, δεῖ τι εἶναι τὸ ἀλλοιοῦν* . . *δῆλον οὖν ὅτι τὸ κινοῦν οὐχ ὁμοίως ἔχει ἀλλ' ὁτὲ μὲν ἐγγύτερον ὁτὲ δὲ ποῤῥώτερον τοῦ ἀλλοιουμένου ἐστίν· ταῦτα δ' ἄνευ φορᾶς οὐκ ἐνδέχεται ὑπάρχειν.* — Ita, Leibnitius inquit, patet vix quicquam physicam Aristotelis habere, quod ex recentioribus non illustretur. — Restat ut addamus »*conceptum formae substantialis scholasticum ex definitione naturae Aristotelica*« non sequi.

Cujus explicationis summa haec fere est.[42]) Non

---

42) cf. epist. ad Thomas. I. p. 52 Erd. cf. ad Thomas. IV. opp. tom IV. p. 21.

quia Aristoteles definiat naturam principium motus et quietis — cf. Aristot. phys. II., 1 p. 192 *τὰ μὲν γὰρ φύσει ὄντα πάντα φαίνεται ἔχοντα ἐν ἑαυτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως τὰ μὲν κατὰ τόπον, τὰ δὲ κατ' αὔξησιν καὶ φθίσιν τὰ δὲ κατ' ἀλλοίωσιν* — et formam materiamque vocet naturam: phys. II., 1 p. 193 a. *ἕνα μὲν οὖν τρόπον οὕτως ἡ φύσις λέγεται ἡ πρώτη ἑκάστῳ ὑποκειμένη ὕλη, τῶν ἐχόντων ἐν αὑτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ μεταβολῆς, ἄλλον δὲ τρόπον ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος τὸ κατὰ τὸν λόγον* — formam autem magis quam materiam — cf. p. 193 b. eod. *καὶ μᾶλλον αὕτη φύσις τῆς ὕλης, ἕκαστον γὰρ τότε λέγεται ὅταν ἐντελεχείᾳ ᾖ μᾶλλον ἢ ὅταν δυνάμει* — hinc idcirco quod scholastici velint sequi formam esse quoddam incorporale brutum tamen in corporibus (p. 52 a.). Formam quidem esse causam principiumque motus, sed non primum, neque enim corpus moveri nisi extrinsecus moveatur, ut recte Aristoteles dicat. — Cf. phys. VII., 1 p. 242 a *φανερὸν δὴ ὅτι πᾶν τὸ κινούμενον ὑπό τινος κινεῖται*, quumque extra corpus nihil sit cogitabile praeter ens cogitans (epistul. IV) seu mentem, primum principium motus esse primam et realiter a materia abstractam formam,[43]) quae simul sit efficiens,[44]) nempe mentem (epist. I.); hujusque argumentis scalis Aristotelem ad primum mo-

---

[43]) metaphy. XII, 6 forma prima ante res concretas eas constituens caret materia *τὸ τί ἦν εἶναι* (*πρώτη οὐσία* met. VII. 7.) *οὐκ ἔχει ὕλην τὸ πρῶτον· ἐντελέχεια γὰρ* cf. met. VII. 7. *λέγω δὲ οὐσίαν ἄνευ ὕλης τὸ τί ἦν εἶναι.*

[44]) quippe causa formalis ipsa sit principium motionis phys. II, 7. *ἔρχεται δὲ τὰ τρία εἰς ἓν πολλάκις τὸ μὲν γὰρ τί ἐστι καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἕν ἐστι, τὸ ὅθεν ἡ κίνησις* (causa efficiens) *πρῶτον τῷ εἴδει ταὐτὸ τούτοις.*

torem esse enixum. »Omnia[45]) ex *δυναμει* fiunt, sed *κινησις* esse debet quae e *δυναμει* ad *ἐνεργειαν* moveat. In quibus causis si proceditur, pervenias ad *τὸ πρῶτον ἐντελεχείᾳ*. Ita hae notitiae ad primum illum Aristotelis motorem ducunt.« — Thomasii autem objectionem, Aristotelem non ex hoc axiomate quod omnis motus principium sit extra corpus, verum ex alio, non dari processum in infinitum (cf. supra), ratiocinatum esse, praecavet Leibnitius, quum utriusque conjunctione opus esse ostendat, ad nullum enim processum veniremus, nedum ad infinitum nisi admitteretur, quod movetur, causam habere motus extra se.

Alia Leibnitius exponit, quae cognitum perpensumque eum habuisse Aristotelem satis ostendunt. Aristotelem affert figuram demonstrasse ex motu; et definitionem temporis Aristotelicam defendit (53 a.). Tempus nihil aliud est quam magnitudo motus quumque omnis magnitudo sit numerus partium, quid mirum, Aristotelem definisse tempus numerum motus. Phys. VII., 11 p. 220 a. *Ὁ χρόνος ἀριθμός ἐστι κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον* phys. VIII., 1, ubi simul motum perpetuum esse intelligit *εἰ δή ἐστιν ὁ χρόνος κινήσεως ἀριθμός, ἢ κίνησίς τις εἴπερ ἀεὶ χρόνος ἐστιν, ἀνάγκη καὶ κίνησιν ἀΐδιον εἶναι.* — Postremo Leibnitius, quum philosophiam »reformatam« cum Aristotelica, cui rationem principiumque motus in causa finali situm esse persuasum est, conciliandam esse ostenderit, confirmat numquam nisi constituta hac philosophia Atheis Scepticis Naturalistis solide occursum iri (54 a.). —

---

45) Trendelenburg. comm. de anima p. 305.

Quibus consideratis Guhrauerus[46]) haud recte videtur epistulis ad Thomasium datis parum ponderis tribuere. Etenim Leibnitium tunc Cartesianis doctrinis haud fuisse addictum, uti Guhrauero placuit, satis probant; nec non eruditionem ab Aristotele acceptam vel postea, cum novum Leibnitii systema prodiret in lucem, in mente ejus fixam mansisse inveniemus. — Haud praeterire volumus eodem anno 1669 specimen a Leibnitio scriptum, cui est titulus: »demonstrationum politicarum pro eligendo rege Polonorum ad claram certitudinem exactum auctore Georgio Ulicovio Lithuano. Vilnae 1659.«[47]) Cujus in praefatione novo se scribendi genere uti velle declarat laudibusque effert »*masculum illud breve et torsum et ipsa subtilitate cultum orationis genus*, *quo . . . . Aristoteles contorsit*, *quo admirabilis jureconsultorum veterum in Pandectis se diffudit.*«

Revera breviter subtiliterque definiendi methodum sequens Aristotelis refert rationem; ex. gr. ita fere tractat amicitiam.[48]) »*Verus amicus amici bona per se expetit. Ubi vera amicitia ibi amor, amare est delectari alterius bonis* (postea etiam hac in definitione acquievit), *quod delectat per se expetitur licet non ob utilitatem, ergo verus amicus amici bona per se expetit.*« Jnfra videbimus, Leibnitium pariter atque Aristotelem terminorum definitioni magnam tribuisse vim;

---

46) Guhrauer. „Leben Leibnitz“ vol. I. p. 73.

47) opp. Dutens. IV. p. 522 Leibnitius ipse in scheda sua manu exarata (Guhr. vita II. 59 app.) librum revera 1669 Dantisci editum esse narrat.

48) opp. IV. p. 557.

definitio enim est principium demonstrationis.[49]) — Jamvero anno 1670 Nizolii librum de veris principiis et vera ratione philosophandi[50]) edidit et dissertationem de stilo philosophico Nizolii scripsit. Cujus quidem philosophiam parvi aestimavit, cum prope in ipso partu suffocationem aeque effugerit (57. b. Erdm.) sed laudat eum quod summa diligentia id egerit, ut omnes verborum spinae ex agro philosophico avellerentur (65 b.) Ex erroribus vitiisque Nizolii potissimum vituperationem Leibnitio mereri videtur maledicentia, qua in Aristotelem aliosque veteres sit invectus, quorum in scriptis innumera sint egregia praesertim quae ipso Aristotelis textu contineantur; (65. 67.) nimirum quia scholasticorum vitia Aristoteli imputarit. Saepe etiam Nizolius conviciatoribus fidem dedit aut sensum Aristotelis non satis perspexit cujus rei exempla afferamus. Nizolius Aristotelem reprehendit, quod caeli ardorem Deum esse dixerit. Leibnitius[51]) hoc non nisi ab imperitis Aristoteli tribui posse dicit. *Qui credit Aristotelem in veris suis operibus Deum appellasse καῦμα οὐρανοῦ per vim nobis ineptum et stultum obtrudit.* Nizolius[52]) Aristotelem credit »praeter alia quae peccaverit« in describendis categoriis suis etiam hoc peccatum admisisse, quod praetermiserit categoriam causae. »Nam si quis ab eo quaerat in quanam categoria haec sint »esse Polycleteum esse marmoreum,« numquam ipse sese ex-

---

49) dialogus de connexione . . 1677. (p. 76 Erd.)

50) de stilo p. 58 b. Erd.

51 adnotationes in Niz. antibarbarum Dut. op. IV. p. 75 cf. de stilo p. 70 Erd.

52) adnotat. l. cit. p. 71.

plicare poterit.« Leibnitius breviter respondet »ad *τὰ πρός τι referet«* (De categoriis Aristotelis v. infra.) Nec aliter quum Nizolius dicat ad nullam categoriarum Aristotelis reduci posse conditionem personarum, ut esse nobilem, Leibnitius »*nobilis ad parentes refertur sunt ergo haec non qualitates sed relationes.*« Graviter Leibnitius nostra etiam dissertatione Aristotelem scholasticorum ineptiarum, quibus illum passim inquinabant, purum esse longeque alium quam qui vulgo depingatur (p. 67, p. 68.) monet, ne nonnullorum somnia de abjiciendo prorsus Aristotele in animis incautae juventutis invalescant (68 a.). Haud multo post scribit (Hypothesis physica nova 1671 cf. C. J. Gerhardt Leibn. mathemat. Schriften II. 2 p. 48). »*Aristotelem ut in praefatione ad Nizolium de veris principiis .. nuper recusum docui conciliare longe facilius fuerit, nam ille pene nusquam dicit, quae ei a scholasticis imponuntur*« — Laudibus autem effert eos qui in Aristotele cum recentioribus conciliando operam posuerint (in quibus maxime Thomasium) illumque a surdis dogmatibus, quae ei superiorum temporum ignorantia affinxerit, longissime afuisse ostenderint. Qui namque Aristotelem profundius sint assecuti, satis intellexisse quam gravi consilio sua aggressus sit, quam praeclaro ordine collocarit, quam denique magnifice sit assecutus (68). — Restat ut afferamus Nizolium errasse quum genuina opera Aristotelea vocarit in dubium. In adnotationibus supra laudatis Nizolius libros de moribus haud esse Aristotelis sed ejus filii Nicomachi probat auctoritate Ciceronis, Leibnitius verò Ciceronem statuit conjicere tantum posse fortasse esse filii et objicit non potuisse

Nicomachum Platonis amicum esse, ut dicatur in Ethicis quum constet Aristotelem Platone vivo filios non suscepisse »*si Platonem amicum vocaret tantum ob libros ejus sibi caros non esset cur amore veritatis crimen violatae amicitiae excusaret. Amicitia enim inter hominem et librum vere nulla est.*« Pertinent haec ad verba illa egregia libri I. eth. nic. c. 4 . . . προσάντους τῆς ζητήσεως διὰ τὸ φίλους ἄνδρας εἰσαγαγεῖν τὰ εἴδη, (Platonis de ideis doctrinam improbat) δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας· ἄμφοιν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. — Venimus nunc ad exponendum quae Leibnitius ab Aristotele de jure philosophico receperit. Leibnitium adolescentem jam studio juris naturalis se consecrasse Aristotelisque doctrinas hac etiam in re respexisse supra diximus; nec tempore de quo nunc agimus, deerat illi. Quod ex fragmento circa 1671 scripto[53]) cui ab editore[54]) inscriptum est »definitio juris universalis« perspicuum est. Epistula etiam Hobbesio scripta Leibnitius se cum amico opus jurisprudentiae rationalis moliri narrat,[55]) cum observarit magnam responsorum quae in Pandectis conservata sint partem ex mero naturae jure collectam, item in aliis epistulis[56]) elementa juris naturalis se brevi declarat libello complecti cogitare, quibus omnia ex solis definitionibus »demonstren-

---

53) Trendelenburg. „hist. Beit." II. 281.

54) Trendelenburg. l. c. II. 265.

55) Guhrauer. vita II. 62 app.

56) 1671 ad Arnald. 1673 ad Joannem Frideric. cf. apud Trendelenb. l. c. II. 280 et 258

tur.« Revera hoc testatur fragmentum illud ex quo quod ad finem nostrum afferemus, simul scripta posterioris considerantes temporis. »Justitia est habitus (seu status confirmatus) viri boni.[57]) Habitum quidem ἕξιν esse Aristotelicam, supra ostendimus. Recte autem Aristotelique convenienter justitiam, quae in vita versatur singulaque innumerabilia respicit, ad arbitrium boni viri remisit, quemadmodum, uti addit, Aristoteles in ethicis omnia singulis non comprehendenda ad arbitrium prudentis ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν, id quod spectat ad eth. nic. II, 6 quo loco Aristoteles virtutem definiens mediocritatem (μεσοτητα) a prudenti judicari exponit. In iis quae sequuntur, quum justitiam esse statum confirmatum (ἕξιν) viri boni ostenderit, ita ut altera quasi natura sit et justus aliter agere nequeat, ad Aristotelis logicam nos remittit. Ipsum vero audiamus: »*Jus est potentia, obligatio est necessitas viri boni.*« »*Injustum est quod absurdum est, quod contradictionem implicat fieri a viro bono.*« Cf. ad Arnaldum (ed. Grotefend. p. 143) „licitum sit quod viro bono possibile est, debitum sit, quod viro bono necessarium est.« Logicae antem modalia necessitatis et contingentiae ab Aristotele demonstrata transfert ad jus[58])

possibile est quicquid potest
impossibile est quicquid non potest
necessarium est quicquid non potest non
contingens est quicquid potest non } fieri.

Ad Aristotelis spectat περι ἑρμην. c. 13, p. 22 quod

---

[57] eod. p. 265.

[58]) cf. Trendelenburg, „h. B.“ II. p. 266.

haec habet: »enunciationem esse possibilem consequitur haec contingens esse atque haec cum illa reciprocatur (*ἀντιστρέφειν* notiones dicuntur, cum altera in alterius locum substitui potest, quia quod una habet proprium alteri etiam adest;[59]) vid. infra) et haec« non impossibile esse« et haec »non necesse esse,« enunciationem vero »possibile non esse« et »contingens non esse« consequitur haec ‚non necesse non esse' et »non impossibile non esse« at illam ‚non possibile esse' et ‚non contingens esse' haec ‚necesse non esse' et ‚impossibile esse,' sed hanc, non possibile non esse' et ‚non contingens non esse' haec ‚necesse et impossibile non esse' *τῷ μὲν γὰρ δυνατὸν εἶναι τὸ ἐνδέχεσθαι εἶναι καὶ τοῦτο ἐκείνῳ ἀντιστρέφει, καὶ τὸ μὴ ἀδύνατον εἶναι καὶ τὸ μὴ ἀναγκαῖον εἶναι· τῷ δὲ δυνατὸν μὴ εἶναι καὶ ἐνδεχόμενον μὴ εἶναι τὸ μὴ ἀναγκαῖον μὴ εἶναι καὶ τὸ οὐκ ἀδύνατον μὴ εἶναι· τῷ δὲ μὴ δυνατὸν εἶναι καὶ μὴ ἐνδεχόμενον εἶναι τὸ ἀναγκαῖον μὴ εἶναι καὶ τὸ ἀδύνατον εἶναι, τῷ δὲ μὴ δυνατὸν μὴ εἶναι καὶ μὴ ἐνδεχόμενον μὴ εἶναι τὸ ἀναγκαῖον εἶναι καὶ τὸ ἀδύνατον μὴ εἶναι*, cf. etiam anal. pr. I. 2.*πᾶσα πρότασίς ἐστιν ἢ τοῦ ὑπάρχειν ἢ τοῦ ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχειν ἢ τοῦ ἐνδέχεσθαι ὑπάρχειν.* Nunc quidem haec enunciationum genera aliquid esse, necessario esse, posse fieri ut sit, logici modalitatis nomine complectuntur. *Ἀναγκαῖον* alio loco etiam statuit non posse fieri ut aliter se habeat. an. post. 1, 33 *οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν.* cf. metaph. *Δ*, 5 (p. 93 ed. Brandis.) *ἔτι τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν ἀναγκαῖόν φαμεν·* contingens autem *τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν.* eth. nic. VI, 2.

---

59) Trend. elementa logices Arist. p. 77 ed. V.

Jam in definitione justitiae »caritatem esse viri boni» (*»vir bonus est quisquis amat omnes, amare autem est delectari alicujus felicitate;«* cf. supra) qua, ut exponit,[60]) Mosis Christi Platonicorum regulae contineantur, Leibnitius »in codice juris gentium« 1693 scripto acquievit et postea etiam 1709 epistula Kestnero scripta. Ut jam hic ostendamus, fontes juris naturalis in eodem codice designat (p. 120 Erd.); tres illius esse gradus docet 1) jus strictum seu merum in justitia commutativa, 2) aequitas (vel angustiore sensu caritas) in justitia distributiva, 3) pietas vel probitas in justitia universali quae omnes alias virtutes comprehendat. Quorum graduum uti in nova methodo § 73 (p. 105 ed. Wolf.) dicit, sequens antecedente perfectior eumque confirmat et in casu pugnantiae ei derogat. Cum autem jus strictum nihil sit aliud quam jus belli pacisque, quia inter personam et personam tamdiu est jus pacis, quamdiu alter non incepit bellum seu laesit, illius unicum praeceptum esse apparet: »neminem esse laedendum« ne detur in civitate actio extra civitatem, jus belli (nova meth. §. 73 ed. Wolf. p. 106; cf. p. 119 Erd.) aequitatis vero quum sit cunctis prodesse sed quantum cuique convenit aut quantum quisque meretur, ita ut aequitas i. e. duorum pluriumve ratio vel proportio existat in harmonia seu congruentia (nova meth. §. 74, codex p. 119 Erd.), praeceptum illius est suum cuique tribuere. »*Haec requirit* (nov. meth. l. c.) *ut in eum qui me laesit non bellum internecinum instituam sed ad restitutionem . . coincidit autem cum principiis Aristo-*

---

60) cf. Trendelenburg. hist. Beitr. II. 267.

telis Grotii.« Jus strictum cum miseriam vitet, jus superius ad felicitatem tendat, sed qualis in hanc mortalitatem cadit, pietas caeteris gradibus perfectionem et effectum tribuit. Existentia autem Dei est juris naturae fundamentum ultimum; quia omnisciens et sapiens est jus merum et aequitatem confirmat, quia omnipotens exequitur. Hinc coincidit utilitas generis humani, immo decor et harmonia mundi cum voluntate divina. Ex hoc principio jam ne bestiis quidem et creaturis abuti licet, hinc illud praeceptum honeste vivere. Justitia autem universalis appellatur, quia omnes alias virtutes comprehendit (§ 75 nova meth. cf. codic. p. 119 Erd.) item in nov. tentam: La justice universelle est non seulement une vertu mais même c'est la vertu morale entière« (IV, 8, p. 372 b. Erd.)

Jam vidimus supra, apud Leibnitium juris naturae principia cum ethicis esse conjuncta aeque atque apud Aristotelem,[61]) Nec elementa hic deesse Aristotelica, qui Aristotelis librum quintum ethicorum consideraverit, haud vocabit in dubium. Aristotelis enim *δικαιοσύνη* sensu quidem late sumta perfectissima est virtus, quia omnium est exercitatio *ὅτι τῆς ἀρετῆς χρῆσις ἐστὶν τελεία.* V. 3. . . . *τῆς ὅλης ἀρετῆς οὖσα χρῆσις πρὸς ἄλλον.* V. 5. *καὶ παροιμιαζόμενοί φαμεν ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετὴ ἔνι* (3). Sensu autem strictiore (*ἡ ἐν μέρει δικαιοσύνη* V. 5.) est aut justitia commutativa *δίκαιον ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικόν,* (eod.) quae non nisi ad rem spectat *ἴσον τι κατὰ τὴν ἀριθμητικὴν* (sc. *ἀναλογίαν*) . . *πρὸς*

---

61) cf. Trendelenburg. „Naturrecht" 1860 §. 15 p. 21.

τοῦ βλάβους τὴν διαφορὰν μόνον βλέπει ὁ νόμος καὶ χρῆται ὡς ἴσοις V. 6. . . aut distributiva *τὸ ἐν ταῖς διανομαῖς δίκαιον* V. 5. quae ad personarum virtutem (*ἀξίαν*) spectat *καλοῦσι δὲ τὴν τοιαύτην ἀναλογίαν γεωμετρικὴν οἱ μαθηματικοί,* V. 6.

Quibus tres illi gradus Leibnitii insunt, jus enim strictum Aristotelis justitiae commutativae, aequitas distributivae respondet et justitiam universalem Aristotelis theologicis vestivit principiis. In specimine quodam[62]) Aristoteli laudi ducit, quia etiamsi justitiam universalem ad Deum non duxerit, tamen ejus vim dignitatemque recte perspexerit. — Itaque Leibnitius aliorum inventis novum attulit lumen in suamque transtulit sententiam. Ipse in nova methodo quum Platonem, Aristotelem aliosque »*qui circa jus naturae philosophati sunt*« attulisset, facile eos inter se conciliari posse declaravit.

62) apud Trendelenb. „hist. Beit. II. 261. „Jl est vrai qu'Aristote a reconnu cette justice universelle quoiqu'il ne l'ait point raportée à Dieu et je trouve beau en luy d'en avoir eu neantmoins une si haute idée . . ."

PARS III.

DE LIBRIS NOVA DOCTRINA INVENTA SCRIPTIS.

Jam venimus ad tempus, quo Leibnitius non nulla quae adolescens statuerat principia missa fecit novamque philosophiae faciem effinxit. Anno enim 1671 Nov. epistula ad Arnaldum data [1]) contra Cartesium, cujus philosophia tunc temporis communis omnibusque erat accepta [2]), corporis essentiam non consistere in extensione id est in magnitudine et figura statuit. [3]) Verum quidem est, Leibnitium vel tunc haud pauca admisisse, quae postea rejecerit, ex. gr. spatium vacuum [4]) minimeque jam tunc suum de monadibus systema habuisse accurate elaboratum, ita ut ipse sibi prorsus satisfaceret, id quod 1685 paene demum effecit, uti ipse narrat, [5]) sed tamen novae doctrinae jam ingenio viri

---

1) Grotefend. ed. p. 137.

2) Leibnit. ad Bierling. 1711 „Cartesiana philosophia jam minus floret, quam ante hos 30 annos“ opp. V, 370.

3) ed. Grotef. p. 141.

4) ibid.

5) Anno enim 1697 Thomasio Burneto scribit: „cependant j'ai changé et rechangé et ce n'est que depuis environ 12 ans (i. e. 1685) que je me trouve satisfait.“ — Et certe maximi est momenti epistula

magni licet ex parte non expolitae inerant; ex. gr. afferamus ex epistula ad Joannem Frid. 1671 data haecce.[6]) »*Nemlich ich bin fast der Meinung, dass ein jeder Leib sowohl des Menschen als Thiere Kräuter und Mineralien einen Kern seiner Substanz habe. . . Dieser Kern ist so subtil, dass er auch in der Asche der verbrannten Dinge übrig bleibt und gleichsam in ein unsichtbares Centrum sich zusammenziehen kann. . Nun glaub ich ferner, dass dieser Kern des ganzen Menschen weder ab noch zunehme, obgleich sein Kleid . . in stetem Fluss begriffen und bald wegraucht, bald wiedrum aus der Luft oder Speise sich vermehrt.*« Cf. ad hunc locum epist. ad Wagnerum 1710 sc., qua eandem etiam dicendi rationem adhibet (p. 466 Erd.) Et in hypothesi phys. nova 1671: ». . .*cum continuum sit divisibile in infinitum, quaelibet atomus erit infinitarum specierum quidam velut mundus, et dabuntur mundi in mundis in infinitum*« cf. C. J. Gerhardt: Leibn. mathem. Schriften II. 2. p. 41. Jam videamus utrum Leibnitius quum philosophiam novam in lucem ederet, Aristotelem prorsus neglexerit tunc et posteriore tempore doctrinasque ejus non respexerit, an in eruditione, ex qua proficiscebatur, permanserit, quamvis novo illam illustrarit lumine. — Jn epistula statim ad Arnaldum supra laudata definitione quadam Aristotelea nititur, quum enim de corporum motu agat, addit [7]) »*si corpus conetur in corpus, esse ambo in initio pene-*

---

ad Ernestum ducem 1686 data (ed. Grotef. p. 154.) in qua omnes doctrinae jam extant.

[6]) cf. Guhrauer. „Leibn. Deut. Schrift." I. 271.

[7]) ed. Grotefend. p. 142.

trationis seu unionis seu extrema eorum unum esse, ut continuum definiat Aristoteles οὗ τὰ ἔσχατα ἕν. Hinc ea corpora omnia solaque cohaerere quae se premant. Cf. Arist. *κατηγ.* C. 6. p 46. *τοῦ δὲ ποσοῦ τὸ μέν ἐστι διωρισμένον* (discretum) *τὸ δὲ συνεχὲς* (continuum). Tunc autem continuum esse dicit Aristoteles cum utriusque fines quibus se tangant, unum idemque fuerint facti atque ut nomen significet contineantur, quod quidem esse non posse, si extrema sint duo cf. phys. V 3 p. 227 a. *λέγω δ'εἶναι συνεχὲς ὅταν ταὐτὸ γένηται καὶ ἓν τὸ ἑκατέρου πέρας οἷς ἅπτονται καὶ ὥσπερ σημαίνει τοὔνομα συνέχηται. τοῦτο δ'οὐχ οἷόν τε δυοῖν ὄντοιν εἶναι τοῖν ἐσχάτοιν.*

Honorato Fabrio, qui Leibnitium Cartesium sequi et ab Aristotele alienum esse putabat, (cf. supra) non multo post annum 1676 (cf. supra) scribit: »*Tecum sentio caeterarum scientiarum fundamenta in prima philosophia contineri. Hujus meae sententiae etiam in Hypothesi Physica aliquot abhinc annis edita,* (*1671*) *expressa satis vestigia habentur. Et cum Marii Nizolii Brixellensis libros . . . recudi curassem, adjecta epistola ad amicum ostendere conatus sum, Aristotelem a vera philosophia non ita remotum esse ac quidam putant. Quo magis miror, quod me in epistola tua velut ab Aristotele omnino alienum publice notasti:*« cf. C. J. Gerhardt. mathem. Sch. II. 2. p. 82. Atque cum quid de Cartesio, Democrito sentiat, indicet, de Aristotele ita fere dicit: »*Jbo per singula, si pateris. Quam non contemnam Aristotelem, supra dixi; eloquentiae artem et civilem Scientiam praeclare tractasse scio, sed et in ipsa Physica de principiis, de motu et continuo, de*

anima acute et saepe solide disputasse, et in problematis et Zoographicis praeclara et ingenii et diligentiae specimina edidisse arbitror, quod praeter alios eleganter ostendit P. Pardiesius . . . . Jn Germania Abdias Trew, Noribergensis Academiae Mathematicus sine controversia egregius, octo Aristotelis libros de physica addita demonstrationum forma exhibuit, ubi satis apparet quidem non omnia aeque firma esse, apparet tamen et pleraque non adeo inepta esse ac multis videntur. Vides, quam sim ab Aristotele alienus.« (p. 84. l. c.)

Cf. locum ex inedito, quod in fine dissert: extat. Atque in aliis epistulis posterioris temporis de Aristotele saepius tractat uti, quemadmodum mox videbimus, de entelechia Aristotelis, anno autem 1684 de loco quodam Eudemiorum. Seckendorff. enim in libro cui titulus est Christen» Staat, 3 Bücher etc. Leipz. 1693 de sententia Aristotelis quam p. 106 (»additiones«) laudat: *δῆλον δὴ ὥσπερ ἐν τῷ ὅλῳ θεὸς καὶ πᾶν ἐκείνῳ· κινεῖ γάρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον. λόγου δ'ἀρχὴ οὐ λόγος ἀλλά τι κρεῖττον* ita fere dicit: »Es bleibet doch noch zu untersuchen, ob er mit dem Worte Gott oder göttlich die Providenz Gottes oder nur die Nothwendigkeit der Natur . . gemeinet.« Quae ad verba Leibnitius, ut Seckendorff. affert (p. 108) epistulam scripsit, qua de isto loco Aristotelis »VII. eudem, c 14« judicat. Recte dictum esse, in nobis esse aliquid agens ratione praestantius immo divinum, quamquam rationes quas Aristoteles afferat de enthusiasmis et successibus imperitorum parum sint validae. Spectat nimirum Leibnitius ad hancce ratiocinationem Aristotelis »vide-

mus non prudentiam solum successum virtutesque efficere. Cum praestantius sit aliquid scientia, nempe Deus, felices dicuntur, qui rationis expertes ad recte agendum impellantur quales enthusiasmi, divina autem felicitate fruitur qui aliquid juxta imperium divinum facit: eod. p. 1246, b *οὐ μόνον ἡ φρόνησις ποιεῖ τὴν εὐπραγίαν* 1248 *τί οὖν ἂν κρεῖττον καὶ ἐπιστήμης εἴποι πλὴν θεός; . . . εὐτυχεῖς καλοῦνται ἄλογοι οἳ ἂν ὁρμήσωσι (θεοί) κατορθοῦν.*

Ipsam Aristotelis sententiam laudat sed veretur ne intellectum agentem universalem in animo habuerit qui solus et in omnibus hominibus idem post mortem supersit, quae quidem sententia »*perniciosa*« Leibnitio semper erat odiosa. Hanschio 1704 scribit »*fortasse ab ea sententia* (sc. *deum esse spiritum toto universo diffusum qui ubi in corpus organicum incidat, animet illud* p. 447 a. Erd.) *Stoici non abhorrebant et huc redibat intellectus agens Averroistarum atque ipsius fortasse Aristotelis.* Cf. ep. ad Arnaldum 1686 (discours de metaph. p. 182 ed. Grotef.). *Dieu est le soleil des âmes et ce n'est pas d'aujourd'hui qu'on est dans ce sentiment . . . Les Averroistes l'ont tourné dans un mauvais sens.*« — Anno 1684 de cognitione humana et de criteriis distincti et clari tractat quia nisi illis adhibitis principium illud Cartesii »quicquid clare et distincte percipio, id est verum« sit inutile (p. 81 a Erd.). In specimine illo quum discrimen quod intercedat inter notionem obscuram et claram exponat, entelechiae Aristotelis facit mentionem »termini in scholis parum explicati« ita ut notio ejus sit obscura. (79, Erd.) Leibnitius quum explorasset sine vi activa

naturam corporis concipi non posse, doctrinaque de substantiis simplicibus ingenio suo esset probata, tamen philosophiam novam in notitiam omnium nondum protulit, sed amicis tantum communicavit. Quare quae sibi vellet entelechia multi haud perspexerunt, ita scribit Pirot. ad Pelisson. 1691:[8]) »Je voudrais qu'il imprime bientôt ce qu'il marque en projet, je voudrais voir le déchifrement de l'indéchifrable *ἐντελέχεια ἡ πρώτη*.« Et Pelissonus Leibnitio eodem anno Aristotelem entelechiam non eo quo Leibnitius modo intellexisse indicat. Aristoteles enim, uti Pelisson. exponit,[9]) entelechiam non nisi ad corpora adhibet organica quae vitae habeant partem (capables d'avoir la vie), quum Leibnitii vis seu virtus (force ou vertu) ad omnia corpora pertineat. Leibnitius in hunc fere modum respondet, ut primum Aristotelem laudibus ornet veterumque contemtores perstringat. Verba notatu digna sunt haec:[10]) »*Aristote était incomparablement plus habile que plusieurs ne pensent. Je vois que beaucoup de jeunes gens courent après la matière subtile et les petits globes de Descartes pour avoir de quoi parler et pour se donner le droit de mépriser les anciens et de négliger l'érudition qu'il faudrait pourtant puiser dans les sources.*« — Deinde Aristoteli entelechiam esse actum statuit oppositum nudae potentiae (possibilité nue ou à la capacité), quare ab Aristotele illam tribui actionibus, ut sit motus, qualitatibus (comme la science et vertu), singulariter animis, quas consideret tamquam

---

8) opp. Dut. I. 729.
9) Dut. opp. I. 727.
10) l. c. p. 731.

formas substantiarum vivarum (comme les formes des substances vivantes): At vero Aristotelem non praebere, ex quibus res istae bene concipiantur (le moyen de rendre intelligibles . . .). — Antequam de hisce quid sentiamus profiteamur quidque entelechia Leibnitii habeat commune cum Aristotelis, paucis si placet explicemus, quanam re Leibnitius ab opinionibus vulgaribus discesserit- Anno demum 1694 in publicum quae invenit edidit, quum actis erudit. Lips. specimen insereret de emendatione scientiae illius principis »*quae primae philosophiae nomine venit,*« »*quaeque adhuc inter quaerenda mansit;*« (p. 121) ad Aristotelis τὴν πρώτην φιλοσοφίαν Leibnitius spectat (πρώτην, quia ἐκ προτέρων τῇ φύσει cognoscit) cf. de anima α., 1 phys. α., 9 p. 192a.

Jam specimine illo Leibnitius virium seu virtutis (quam Germani vocant Kraft p. 122 Erd.) naturam ad veram notionem substantiae intelligendam necesse esse ostendit, vim vero activam a potentia nuda scholis cognita differre, quia actum quendam seu ἐντελέχειαν contineat atque inter facultatem agendi (»possibilitatem«) actionemque ipsam (»realitatem«) media sit, non enim indigere auxiliis, sed per se ipsam in operationem ferri. Haec autem agendi virtus omni substantiae inest semperque aliqua ex ea actio nascitur, ita ut omnes substantiae sint vires et omnes vires substantiae. »*Unde Cartesiani, cum nullum principium activum substantiale modificabile in corpore agnoscerent, actionem omnem ipsi abjudicare et in solum Deum transferre sunt coacti, accersitum ex machina, quod philosophicum non est.*« (1702 Maji. Gerhardt l. c. p. 98.)

Item 1695 libello, quem inscripsit *»système nouveau de la nature«* formas substantiales restituendas censet sed ita ut usus, qui ex iis percipi possit, separetur ab abusu scholasticorum: ibidem ut unitates verae addit (p. 124) possent inveniri, erat confugiendum ad atomos formales (quas postea monadum praedicavit nomine), quarum quidem naturam consistere in virtute (force) inveni; Aristoteles illas entelechias nominavit primas, ego autem accuratius forsan vires primitivas quippe quae non solum actum (seu complementum possibilitatis) sed etiam actum primitivum continent (activité originale). Atque in specimine dynamico 1695 scripto: *»Et quemadmodum Democriti corpuscula et Platonis ideas, et Stoicorum in optimo rerum nexu tranquillitatem nostra aetas a contemtu absolvit, ita nunc Peripateticorum tradita de formis sive Entelechiis (quae merito aenigmatica visa sunt vixque ipsis Autoribus recte percepta) ad notiones intelligibiles revocabuntur, ut adeo receptam a tot seculis Philosophiam explicare potius, ità ut constare sibi possit (ubi hoc patitur) atque illustrare porro novisque veritatibus augere quam abolere necessarium putemus.* Cf. Gerhardt math. Sch. II. 2, p. 235. Formas veterum scribit 1697 Bouveto (p. 146 Erd.) seu entelechias non nisi vires esse, hocque modo veterum philosophiam posse restitui. Eodem anno Sturmio, se ex Platonis et Aristotelis mente substantiae notione uti apta *»restituendae antiquae et ut ego judico verae philosophiae«* (p. 145 Erd.). Ex scriptis ceteris quae ad nostrum propositum sunt idonea afferamus. Cum vi sua una-

quaeque res ab alia differat, ipsa fons est actionum internarum (id est perceptionum), neque alieno indiget auxilio ad se perficiendum, revera enim est individua (ἄ-τομος sed formalis non materialis). Itaque omnibus (monad. 1714 p. 706) monadibus nomen entelechiarum potest imponi quum in se habeant certam quandam perfectionem, ἔχουσι τὸ ἐντελές, et sufficientiam αὐτάρκειαν. De hisce terminis Aristotelicis jam supra disseruimus. — Entelechiae istae primitivae perceptionibus praeditae sunt animae (nouv. ess. 1704 II. 21 p. 250) »*late enim sumta anima non tantum animalibus sed et omnibus aliis percipientibus tribuitur*« (ad Wagner. 1710 p. 466). Atque in commentatione de anima brutorum 1710 scripta admittendum docet aliquid praeter materiam, quod sit principium tam perceptionis seu actionis internae quam motus seu actionis externae, vim illam primitivam ἐντελέχειαν τὴν πρώτην uno nomine animam, quod activum cum passivo conjunctum substantiam constituat completam (p. 463 et 464 Erd.) cf. specimen dynam. Gerhardt l. c. p. 236: »*Et primitiva quidem* (sc. vis activa) *quae nihil aliud est, quam* ἐντελέχεια ἡ πρώτη, *animae vel formae substantiali respondet.*«

Quaerimus, quae sit notionis illius apud Aristotelem ratio quaque in re respondeat Leibnitii entelechiae. Et Aristotelis quidem ἐντελεχεια facultatem rei, quatenus ipsis rei conditionibus continetur (δυναμιν) ad perfectionem finemque evehit, ita aes statuae quae ex eo progignitur est δυναμις, statua aeris ἐντελεχεια. Neque in ipsa adhuc actione versatur sed in stat

orto jam acquiescit.[11]) *Κινησιν* autem tamquam mediam *δυναμιν* et *ἐντελεχειαν* conjungere supra est dictum. — Itaque res omnes actu existunt, quae in *ἐντελεχειᾳ* versari dicuntur. Sicut autem *δυναμις* materiae, ita *ἐντελεχεια* respondet formae: *τούτων* (sc. *εἶδος ὕλη*) *ἡ μὲν ὕλη δύναμις, τὸ δὲ εἶδος ἐντελέχεια* de anima II, 2;[12]) *δυναμις* enim indefinita (*ἀόριστος*) utpote materia, *ἐντελεχεια* autem potentiam ad perfectionem perducens certa est »et finita utpote formam afferens.«[13])

Δύναμις contraria haud recusat, ut quod dicitur posse sanum esse, idem est etiam aegrotans: metaph. IX. 9. p. 1051. a. *ὅσα γὰρ κατὰ τὸ δύνασθαι λέγεται ταὐτόν ἐστι δυνατὸν τἀναντία, οἷον τὸ δύνασθαι λεγόμενον ὑγιαίνειν ταὐτόν ἐστι καὶ τὸ νοσοῦν, ἐντελέχεια* vero cum secernat (*χωρίζει*) »ut nihil mixti nihil confusi esse patiatur«[14]) in utrumque abire nequit, contraria enim simul esse impossibile est ut sanum et aegrotum esse metaph. l. c. . . *τὰς ἐνεργείας δὲ ἅμα ἀδύνατον ὑπάρχειν οἷον ὑγιαίνειν καὶ κάμνειν,* quare áctus potentia praestantior l. c. *ἡ ἄρα ἐνέργεια βελτίων.* — Quibus expositis si ad Leibnitii explicationem respicimus, recte quidem entelechiam potentiae ab Aristotele oppositam esse exposuit quaeque affert exempla haud aliena sunt ab Aristotele. Motus[15]) enim »tum moventis tum ejus quod movetur *ἐντελεχεια* est, discere et docere in eandem *ἐνεργειαν* redeunt.« »Ita diversae res, quarum altera

---

[11]) cf. quae disseruit Trendelenburg. comment. de an. p. 295 et seq.

[12]) cf. l. c. p. 301.

[13]) l. c. p. 302.

[14]) cf. l. cit. p. 302.

[15]) l. c. p. 309 cf. quae ibidem extant exposita.

agit, altera patitur, unam eandemque habent *ἐντελεχειαν*. Quae etsi repugnare agnoscuntur tamen repugnantia in ipso motu ponuntur.» — — Nec quod Aristotelem entelechiam dicit animis tribuisse, quas tamquam formas considerarit substantiarum vivarum, caret fundamento. Spectat nimirum ad Aristotelis *περι ψυχης* librum B (1 § 4) ubi definit ille animam esse substantiam tamquam formam corporis naturalis potentia vitam habentis, cum substantia sit actus et perfectio, animam esse talis corporis perfectionem et actum: *ἀναγκαῖον ἄρα τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος· ἡ δ' οὐσία ἐντελέχεια . . . τοιούτου ἄρα σώματος ἐντελέχεια.* Animus corporis est entelecheia, quum efficiat »ut corpus per se iners finem assequatur suum.»[16]) — Nec non videmus Leibnitium quum formas veterum vires esse statuerit seu substantias, ut parum latine dicamus, immateriales, quae in se perfectionem sufficientiamque habeant, quae Aristotelicis doctrinis tamquam *δυναμει* latebant, protulisse in suamque transtulisse sententiam. Ut Leibnitio Aristoteli etiam formae haud sunt rerum ideae, quae a rebus ipsis sejunctae per se existant, quemadmodum Platoni placuit (Parmenid. 132 *εἴδη τῶν ὄντων παραδείγματα* cf. Arist. eth. nic. I. 4) sed rebus ipsis insunt (*ἐν ἑαυτῷ τέλος ἔχουσιν*). Ex Aristotelis etiam doctrina animo demum corpus ad finem pervenit suum ut cum ad perfectionem perducat sit ejus revera *ἐντελεχεια*: Animus artifex, corpus instrumentum est cf. de anima I., 3 *δεῖ τὴν μὲν τέχνην χρῆσθαι τοῖς ὀργάνοις, τὴν δὲ ψυχὴν*

---

16) l. c. p. 313.

τῷ σώματι. Nec minus Aristoteles *ἐντελέχειαν* in agendo perficiendoque posuit. Tamen Leibnitii ingenium in sua philosophia condenda Aristotelis mentem reliquit. Ac primum quidem quod entelechias seu monades a *δυνάμει* separet sufficientiamque iis concedit »propriam quasi vitam« iis concedens[17]) ab Aristotele est alienum. Deinde Aristotelis mentem in suam convertit doctrinam, quum *τὴν ἐντελέχειαν πρώτην* tamquam vim interpretetur primitivam (cf. quae supra exposuim.) Apud Aristotelem *τῆς ἐντελεχείας πρώτης* alia erat ratio. Quodsi in libro de anima II. (1 § 5) ita definit *ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος, ἐντελέχεια ἡ πρώτη* significat possessionem quae non in motu est, etenim entelecheia prima et secunda actus quidem sunt perfecti, differunt autem inter se quemadmodum scientia quiescens (*ἐπιστήμη*) et contemplatio mota (*θεωρεῖν*), altera habet et possidet, altera iis quae habet utitur.[18])

Ita animus quum quiescit corporis est *ἐντελέχεια πρώτη* neque enim somper agit. Quare Aristoteles: »actus quidam est ut contemplatio,» . . et: »vigilia quidem cum contemplatione, somnus vero cum scientia operatione vacante habet similitudinem« de anima II., 1 § 5 *αὕτη* (sc. *ἐντελεχεια*) *λέγεται διχῶς, ἡ μὲν ὡς ἐπιστήμη ἡ δ' ὡς τὸ θεωρεῖν φανερὸν οὖν ὅτι ὡς ἐπιστήμη. ἐν γὰρ τῷ ὑπάρχειν τὴν ψυχὴν καὶ ὕπνος καὶ ἐγρήγορσίς ἐστιν, ἀνάλογον δ' ἡ μὲν ἐγρήγορσις τῷ θεωρεῖν, ὁ δ' ὕπνος τῷ ἔχειν καὶ μὴ ἐνεργεῖν.* —

Leibnitius etiamsi inventis recentiorum utebatur,

17) l. c. p. 321.

18) Trendelenburg. comm: cf. quae disputavit p. 314 et 315.

tamen veterum rationi philosophandi tunc etiam fidem servabat. Cum enim corpora sint vires, vis autem sit principium immateriale ut dicam minus latine, quia »*ex earum rerum numero est quae non imaginatione sed intellectu attinguntur*« (de ipsa natura p. 156), leges mótus mechanicae haud sufficiunt ad recte philosophandum et recentiorum rationes mathematicae conjungantur necesse est cum Aristotelis principiis. Ob quod epistula 1691 scripta, qua corporis essentiam haud in extensione sola consistere evincit, monet ne in physicis principia altiora incorporeaque[19]) contemnantur, ut cum multi melius de philosophia naturali recentiorum (corpusculaire) existiment tum recentiores cognitionem naturae conjungant cognitioni effectoris naturae. Leibnitio erat ab initio propositum, ut Aristotelem statuentem, leges mechanismi haud ex materia oriri, sed causa finali adhibita naturam demum posse concipi, conciliaret novis philosophis, qui causas efficientes omnium quasi regnatrices reddebant. Jam prima adolescentia, uti ostendebamus, id egit ut ultimum rerum fundamentum Deum demonstraret esse, quia natura »in extrema corporum resolutione Dei auxilio carere non« posset. Nec minus postea in physica causae finali, quam tamquam inutilem sterilemque viri ingeniosi tunc temporis rejiciebant (cf. introd. nostram), vim tribuit magnam, quum »*ex consiliis naturae maximo cum fructu indagemus pulcherrimas quibus utitur leges*«.[20]) »*Finalem causam non tantum prodesse ad virtutem et pie-*

---

19) les principes immatériels et supérieurs cf. p. 113 b. apud Erdm.
20) Leibnitii animadversiones opp. Dut. II. 132.

tatem in ethica . . sed in ipsa physica ad inveniendum et detegendum abditas veritates« [21]) (sc. a me est monitum). — »*Omnino enim, quicquid dixerit Cartesius, non efficientes tantum, sed et finales causae sunt physicae tractationis; prorsus quemadmodum domus male exponeretur, si quis partium structuram traderet tantum, non usum.*« (Maji 1702. Gerhardt. math. Sch. II, 2, p. 103. cf. etiam l. c. p. 243.) Quemadmodum Aristoteles causae finalis considerationem in priorum philosophorum ne Platonis quidem excepta disciplinis desideravit, quum cujus gratia actiones mutationes et motus (*τὸ δ' οὗ ἕνεκα αἱ πράξεις καὶ αἱ μεταβολαὶ καὶ αἱ κινήσεις*...) formamque ante res singulares eas constituentem (quod quid erat esse) clare quidem nemo assignarit (*τὸ δὲ τί ἦν εἶναι σαφῶς μὲν οὐδεὶς ἀπέδωκε* metaph. I, 7). Leibnitius etiam novos perstringit philosophos, qui causarum finalium investigationem repudiarint. Epistula quadam ad Arnaldum 1686 data[22]) aeque eos refutandos ducit, qui Deum finem nullum sibi proponere (Spinozam nimirum petens) atque qui bonum objectum voluntatis Dei haud esse statuant. »*Lorsque nous voyons quelque bon effet ou quelque perfection, qui arrive ou qui s'ensuit des ouvrages de Dieu nous pouvons dire surement que Dieu se l'est proposée. Car il ne fait rien par hazard et n'est pas semblable à nous à qui il échappe quelque fois de bien faire.*« — Et 1697 epistula ad Nicaisium scripta Cartesium eadem de causa accusat,[23]) neglecta enim causa finali seu quod

[21]) de ipsa natura 1698. p. 155 b. Erdm.

[22]) Grotefend. ed. p. 173 p. 174.

[23]) opp. Dut. II. p. 245. p. 251.

eodem redit consideratione sapientiae divinae in rerum ordine (*ou ce qui est la même chose de la considération de la sagesse divine* etc.), haud accurate judicari potest de universo, non magis quam de aedificio nisi effectoris consilia exquirantur (*sans entrer dans les fins de l'architecte*). Recte addit eodem loco in Platonis Phaedone Anaximandri rejici sententiam figuris materiaeque motibus contenti neque aliter cogitare novos philosophos[24]) (*c'est justement le cas* . . .). In novis tentaminibus de cognitione humana 1704 scriptis Lockium reprehendit,[25]) quod non nisi de causa efficiente tractarit et finalem omiserit et consilium cogitationemque rebus inesse neglexerit, quum cogitatio causam efficientem dirigat seu, ut alio loco[26]) dicit, causae efficientes pendeant a finalibus. In eodem libro quum jam antea 1698[27]) commercium substantiarum seu monadum» *oriri per consensum ortum a divina praeformatione*« indicarit fusius de harmonia causarum finalium (regni gratiae cf. causam Dei p. 656 Erd.) et efficientium (regni naturae ib.) a mente divina praestabilita tractat. Atque in consideratione de vitae principiis[28]) 1705 scripta neque regnum statuit causarum efficientium neque finalium per se sine alterius auxilio sufficere, quia ex fonte fluant (*émanent d'une source* . . . .) in quo vis quae causas efficientes gignat et sapientia quae

---

24) cf. etiam discours de metaphysique apud. Grotefend. p. 175. ubi de loco illo: . . . semble être fait exprès contre nos philosophes trop matériels — cf. lettre à Bayle. p. 106 b. Erdmann.

25) nouv. essais II. 22 II. 26.

26) 1711 ad Bierling p. 678 Erd.

27) De ipsa natura p. 157 b. Erd.

28) 1705. „sur les principes de vie“ cf. opp. Dutens. vol. II. p. 41.

finales dirigat sint unitae. Illo autem axiomate, motum esse nullum secundum leges mechanicas, ad primum nos duci motorem (Aristotelis *πρῶτον κινοῦν* cf. supra). Itaque quum in corporibus quidem omnia mechanice fieri doceret, principia vero mechanismi ex altiore fonte profluere[29]) quia, uti Aristoteli etiam placuit, res non caecis viribus necessitateque sed fine consilioque dirigerentur, Aristotelem Democrito et recentioribus conjunxit; quumque omnium disciplinas in centrum quasi uniret, nullius doctrinam prorsus rejecit, sic 1698 Basnagio (p. 154b. Erd.) »*les philosophes formalistes blâment les matériels ou corpusculaires et vice versa; . . . les formes et entéléchies d'Aristote . . . et cependant l'explication mécanique . . . selon Démocrite et les Modernes se trouvent réunies comme dans un centre de perspective . . .*«

Eadem mente in dissertatione de ipsa natura 1698 scripta agit ut appareat »*systema philosophiae emendatum nasci mediae inter formalem et materiarum philosophiae, conjuncta servataque rite utraque* (p. 160 b.) Ibidem Aristotelis, de quo dicit ita: »*profundior mea sententia quam multi putant,*« (p. 159 b. ib.) definitionem motus contra eos defendit qui tamquam ineptam illam refutarunt. Aristotelem enim non solum motum localem sed generaliter mutationem intellexisse, (cf. supra.) Item definitionem illam Aristotelis contra Lockium 1704 tuetur qui absurdam eam irrisit, quum *κινησις* Aristoteli haud sit motus, (quem Aristoteli esse *φοραν* lationem) sed mutatio, quam ob rem definitionem ejus adeo esse

---

29) ad Hoffmannum 1699. p. 161.

abstractam, (nouv. essais III. 4 § 1.) — Sed jam considerandum est, nostrum in gravissimo suae philosophiae libro, in novis tentaminibus de cognitione humana, non solum ad Aristotelem saepe respexisse verum etiam doctrinas habere nexum quendam cum Stagiritae placitis, quum Leibnitius facultate apud illum involuta evolverit. Quid enim? Nonne, ut de iis quae supra ostendebamus, de harmonia finium viriumque necessitati obnoxiarum, de ethicae principiis ad justitiam adhibitis, de entelechiis, de anima tamquam corporis fine, de aliis rebus taceamus, doctrinis de monadum serie graduque, de Deo materia seu principio passivo prorsus exemto Aristotelicum inest fundamentum? Ex Leibnitii doctrina principium vitae perceptio est omnesque monades perceptionis participes universum exprimunt tamquam specula viva (nouv. ess. II. 1, § 1.) At non eodem modo, sed secundum principium passivum, quo quaeque est praedita, monas idem universum secundum differentia puncta visus exprimit (nouv. ess. IV, 10, 11 § exprimant à sa manière.) Jta secundum perceptionum gradus monadum etiam sunt gradus atque infimus quidem monades stupentes (toutes nues,) quae in statu sunt perpetui animi defectus (évanouissement), medius monades quales plantae (n. E. II 9 § 1.) in brutis autem perceptio magis est distincta, altiore denique gradu homines gaudent, quum in homine perceptio ad cogitationem resurgat, id est perceptionem cum ratione conjunctam (n. E. l. c. cf. de anim. brutor. 1710 p. 464 b). — Similiter Aristoteles, nisi quod vitam haud in cunctis posuit substantiis, — *τῶν δὲ φυσικῶν τὰ μὲν ἔχει ζωὴν τὰ δ' οὐκ ἔχει, ζωὴν δὲ λέγομεν τὴν δι' αὑτοῦ τροφὴν καὶ*

αὔξησιν καὶ φθίσιν de an II. 1, 3 — de facultatum animi ordine quo superior inferiore nititur, agit.[30]) Potentias animi dicit Aristoteles has nutritivum, quod solis plantis est, sensitivum, loco motivum, appetitivum, quod brutis est atque intellectivum, quod est homini; necesse vero est quicquid vivit animamque habet, nutriendi vim habere, at non in omnibus viventibus necesse est sensum esse, ita ut continua series haec fere sit: Sensitivum quidem sine vegetativo non est, quibus autem ratio est, illis et caetera cuncta. *περι ψυχ.* II. 3. §. 2. *δυνάμεις δ' εἴπομεν θρεπτικόν, ὀρεκτικόν αἰσθητικόν, κινητικὸν κατὰ τόπον, διανοητικόν. ὑπάρχει δὲ τοῖς μὲν φυτοῖς τὸ θρεπτικὸν μόνον, ἑτέροις δέ τοῦτό τε καὶ τὸ αἰσθητικόν. εἰ δὲ τὸ αἰσθητικόν, καὶ τὸ ὀρεκτικόν.* §. 7: *οἷς μὲν .. ὑπάρχει λογισμὸς τῶν φθαρτῶν, τούτοις καὶ τὰ λοιπὰ πάντα.* Cf. III. 12. §. 1. *τὴν μὲν οὖν θρεπτικὴν ψυχὴν ἀνάγκη πᾶν ἔχειν ὅτι περ ἂν ζῇ και ψυχὴν ἔχῃ .. ἀπὸ γενέσεως μέχρι φθορᾶς, αἴσθησιν δ' οὐκ ἀναγκαῖον ἐν ἅπασι τοῖς ζῶσιν.* —

Porro secundum Leibnitii doctrinam magnum intercedit discrimen inter Deum mentesque creatas, quia cum omni monadi praeter vim primitivam activam et passiva insit, solus Deus ex omni patiendi potentia est exemtus, qua fit ut humanae etiam monadis perceptiones sint limitatae. Nouv. ess. III., 6. cap.; „theol. mystica“ (Guhr. Deut. Sch. I. 411): »*Kein Geschöpf hann ohne Unwesen* (i. e. principium illud passivum) *sein*, *sonst wäre es Gott.*« Sic Aristoteles, quum quaecumque multa numero materia sint prae-

---

30) de qua re Leibnit. adolescens (cf. supra) egit.

dita, unum quid erat esse (cf. supra) primum ex materia exemtum esse statuit, quum sit purus actus. Metaph. XI., 8, 1074a. *ἀλλ᾽ ὅσα ἀριθμῷ πολλά, ὕλην ἔχει. . τὸ δὲ τί ἦν εἶναι οὐκ ἔχει ὕλην τὸ πρῶτον· ἐντελέχεια γάρ.* — Et epistula quidem tunc temporis scripta Maizeaux jam protulit, Aristotelem ad Leibnitii doctrinam de generatione et corruptione prope accessisse videri. Ipsum quidem audiamus, sed antea brevi Leibnitii doctrinam exponere liceat. In novis enim tentaminibus animam haud transmigrare sed mutare formas ostendit, generationem namque esse evolutionem augmentativam et mortem nihil aliud quam involutionem diminutivam (n. E. II. 27 cf. de an. brut. p. 464). Quare monad. §. 74 dicit generationem individui similitudinem habere cum mutatione erucae in papilionem et mortem cum involutione papilionis in erucam. — Maizeaux autem ita scribit Contio:[31]) Parmenide avait les mêmes idées . . il y a, dit Aristote, des philosophes qui nient toute sorte de génération et corruption. Aristotelis verba haec sunt de caelo III., 1, p. 298 *οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν ἀνεῖλον ὅλως γένεσιν καὶ φθοράν. οὐδὲν γὰρ οὔτε γίγνεσθαί φασιν οὔτε φθείρεσθαι τῶν ὄντων, ἀλλὰ μόνον δοκεῖν ἡμῖν οἷον οἱ περὶ Μέλισσον τε καὶ Παρμενίδην.* »Aristote lui-même ne semble pas fort éloigné de ce sentiment, lorsqu'il dit, qu'à l'égard des substances la génération de l'une est toujours la corruption de l'autre et la corruption de l'une la génération de l'autre; Arist. de gener. et corrupt. I. p.

---

31) Leib. opp. ed. Dut. tom. II. pars I. p. 63.

692[32]) *ἔστιν ἡ θατέρου γένεσις . . ἀεὶ ἄλλου φθορὰ καὶ ἡ ἄλλου φθορὰ ἄλλου γένεσις.* — Ceterum aliter Leibnitius ipse de hac re cf. ad Bosses. p. 741 b. Erd.), Aristotelem non curans. — Aristotelis principia ethica Leibnitium ad justitiam adhibuisse supra indicavimus. In novis etiam tentaminibus perinde atque Aristoteles, qui virtutem natura esse insitam negat, cum natura non nisi facultates praebeat finem assequendi, quare neque natura neque contra naturam nascuntur virtutes; — cf. eth. nic. II., 1 *οὔτ ἄρα φύσει οὔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται αἱ ἀρεταί, ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτὰς τελειουμένοις δέ διὰ ἔθους* — Leibnitius habet persuasum, non nisi instinctum nobis esse ingenitum; homini quidem inesse natura appetitum boni honestique, hanc autem potentiam evolvi debere ad virtutem progignendam moralem. Itaque inclinatio (vide n. E. I, 2 le penchant) ad laetitiam id est ad praesens tempus, non ad felicitatem spectat, ut vero ad futurum spectet, ratione dirigatur est necesse. Ibidem Leibnitius ethicam, quia ex instinctu, cognitionem quamvis confusam concedat, demonstrationes tamen fieri possint, ex parte scientiam esse demonstrativam ducit, cum mediam per aetatem Aristotelis secuti auctoritatem, qui substratum[33]) ethicae accuratam demonstrationem (*ἀκρίβειαν*) haud permittere docuit, doctrinam de moribus certitudinis expertem existimarint. Quam ob rem Leibnitius tamquam medium tenet inter Aristotelem et Kantium.

---

[32]) ed. Aur. Allobr. 1607. Locum sumpsimus istum ex adnotatione Dutensii II. p. 63.

[33]) *ὑποκειμένη ὕλη,* versatur ethica in *τῷ ἐνδεχομένῳ ἄλλως ἔχειν* cf. I. 7. VI. 1.

Multa sunt eodem in libro de cognitione humana exposita, quae Aristotelis reducant memoriam, cum doctrinas ejus Leibnitius partim attulerit, partim rationem illarum tacite habuerit.

In libro II. c. 21. Lockii definitionem libertatis reprehendit, ad Aristotelem provocans. »*Mais Aristote a déjà bien remarqué que pour appeller les actions libres nous demandons non seulement qu'elles soient spontanées mais encore . . délibérées.*« (p. 252 Erd.) Aristotelem dicit docuisse, actiones liberas non solum spontaneas esse, sed etiam ante deliberatas debere; — vide mag. mor. I., 3 *οὐκ ἄρα τὸ ἑκούσιον προαιρετόν, ἀλλὰ τὸ προαιρετὸν ἑκούσιον*[34]) — cf. Leibnitium »causa Dei« p. 661 »*actio nostra voluntaria semper spontanea est, ita ut principium ejus sit in agente.*« »*Coactum est cujus principium est externum*« (de libertate p. 669 Erd.). Aristoteles eth. nic. ita statuit (III., 1) *ὧν δ'ἐν αὐτῷ ἡ ἀρχή, ἐπ' αὐτῷ καὶ τὸ πράττειν καὶ μή . . ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ πράττοντι· . . . τὰ δὴ ποῖα φατέον βίαια; ἢ* (qua particula interrogativa, ut solet, reddit responsum) *ἁπλῶς μέν, ὁπότ' ἂν ἡ αἰτία ἐν τοῖς ἐκτὸς ᾖ καὶ ὁ πράττων μηδὲν συμβάλληται;*

Atque quum inquietudine, qualem quidem intelligit, effici ostendat, ut homo alacriter agat, illaque felicitatem haud impediri, sed conjunctam esse cum inquietudine, haud exponit felicitatem consistere in perfecta possessione, qua homines fierent stupidi. (Nouv:

---

34) Aristoteles hoc jam inesse dicit vocabulo *προαιρεσεως* III. 4. eth. nic. *τὸ δ' ἑκούσιον οὐ πᾶν προαιρετόν . . . ἡ γὰρ προαίρεσις μετὰ λόγου καὶ διανοίας. ὑποσημαίνειν δ' ἔοικε καὶ τοὔνομα ὡς ὂν πρὸ ἑτέρων αἱρετόν.*

essais. II. 21. p. 259 a.) Aristoteles in ethicis 10, 4: *οὐ γίνεται οὐδ' ἡδονή· ἕπεται γὰρ τῇ ἐνεργείᾳ .. τελειοῖ δὲ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονὴ οὐχ ὡς ἡ ἕξις ἐνυπάρχουσα, ἀλλ' ὡς ἐπιγινόμενόν τι τέλος οἷον τοῖς ἀκμαίοις ἡ ὥρα.* — Jbidem Leibnitius, cum deteriora sequantur homines, quia bonum in illis sentiant, non vero malum, educationem id agere debere praecipit, ut vera bona nobis ad oculos adducat a veris malis expellat, et consuetudine exerciti virtute delectemur. Eth. nic. II., 2 Aristoteles ita monet: *διὰ μὲν γὰρ τὴν ἡδονὴν τὰ φαῦλα πράττομεν, διὰ δὲ τὴν λύπην τῶν καλῶν ἀπεχόμεθα. διὸ δεῖ ἦχθαί πως εὐθὺς ἐκ νέων, ὡς ὁ Πλάτων φησίν, ὥστε χαίρειν τε και λυπεῖσθαι οἷς δεῖ.* —

Lockio autem dubitanti utrum quies naturam habeat privativam an motus, objicit Leibnitius (nouv. ess. II, c. 8) sufficere quidem quieti si negetur motus, at non motui, si quies negetur. Ita Aristoteles contorte »quies sublatus motus« est: *ἡ γὰρ ἠρέμησις στέρησις τῆς κινήσεως* phys. VIII, c. 1. — Atque quemadmodum ex Leibnitii doctrina transmigratio (*μετεμψυχωσις*) impossibilis est, quum a monadis, quam egregie germanice reddit »*Selbststand*« (Guhr. D. Sch. I, 411) *αὐταρκειᾳ* et animi corporisque consensu abhorreat, eodem pacto[35]) Aristoteles tamquam ineptas Pythagoricas irridet fabulas, quae quemlibet animum in quodlibet injiciant corpus; perinde illos dicere atque si quispiam artem fabrilem fistulas ingredi ineptiat, animus vero corpore utatur necesse esse tamquam instrumento. De anima I, 3, § 22 .. *διὰ τὴν κοινωνίαν τὸ μὲν ποιεῖ τὸ δὲ*

35) cf. K. Fischer. „Leibnitz und, seine Schule“ 1855. p. 193.

πάσχει καὶ τὸ μὲν κινεῖται τὸ δὲ κινεῖ, τούτων οὐδὲν ὑπάρχει πρὸς ἄλληλα τοῖς τυχοῦσιν . . ὥσπερ ἐνδεχόμενον κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς μύθους τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδύεσθαι σῶμα.. παραπλήσιον δὲ λέγουσιν ὥσπερ εἴ τις φαίη τὴν τεκτονικὴν εἰς αὐλοὺς ἐνδύεσθαι· δεῖ γὰρ τὴν μὲν τέχνην χρῆσθαι τοῖς ὀργάνοις, τὴν δὲ ψυχὴν τῷ σώματι.

Jamvero contra Lockium, qui omnem veritatem cognitionemque a sensibus repetiit, veritates necessarias a sensibus doceri negat, non secus atque Aristoteles; experientia quidem quid fiat docet, non vero aliquid aliter se habere non posse. Iam supra ostendimus, necessarium aeque atque Aristotelem definisse (nouv. ess. III, 5, p. 309 a. cf. libr. I) nostrum.

Sic Aristoteles per sensum scire impossibile esse docet. Quod universale est et in omnibus, id fieri non potest ut sentiatur, aliter non esset universale, nam quod semper est et ubique, universale esse dicimus. *οὐδὲ δι' αἰσθήσεώς ἐστιν ἐπίστασθαι . . . . τὸ δὲ καθόλου καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἀδύνατον αἰσθάνεσθαι. οὐ γὰρ ἂν ἦν καθόλου. τὸ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ καθόλου φαμὲν εἶναι* anal. post. I, 31.

Libro quarto c. 2 (p. 343 b. Erd.) quum probabilium doctrinam commendat, de Aristotelis »*ἐνδόξῳ*« verba facit illudque censet Aristoteli esse, quod viris magnae auctoritatis sit acceptum aut hominum multitudini. Aristotelem autem in topicis putat se accomodasse opinionibus hominum oratorum sophistarumque more *(comme faisaient . . .)* id quod perstringit, quia hac re in opinionibus acceptis maximaque ex parte levibus

haeserit (*s'y est attaché* etc.) quasi non nisi proverbiis ratiocinari voluerit.

Veremur, ne Leibnitius hac de re Aristotelem immerito accusarit. Verum quidem est, Aristotelem saepe ab opinionibus hominum et proverbiis, voce populi, proficisci; nec minus probabilia Aristoteli esse quae omnibus videantur vel plerisque vel sapientibus. top. I, 1 *ἔνδοξα δὲ τὰ δοκοῦντα πᾶσιν ἢ τοῖς πλείστοις ἢ τοῖς σοφοῖς καὶ τούτοις ἢ πᾶσιν ἢ τοῖς πλείστοις ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις.*

Sed quia topicorum propositum esse declarat methodum invenire, cujus ope de omni proposito problemate ex probabilibus possint concludere — *ἡ μὲν πρόθεσις τῆς πραγματείας μέθοδον εὑρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων* ibi initio — Aristoteles ideo minime ratas opiniones illas habet nec artificia sophistica dialecticae adminiculo docet, verum id agit ut multorum opinionibus enumeratis ex propriis sententiis illae examinentur quodque non recte dictum videatur refellatur: *τὰς τῶν πολλῶν κατηριθμημένοι δόξας οὐκ ἐκ τῶν ἀλλοτρίων ἀλλ' ἐκ τῶν οἰκείων δογμάτων ὁμιλήσομεν πρὸς αὐτοὺς μεταβιβάζοντες ὅτι ἂν μὴ καλῶς φαίνωνται λέγειν ἡμῖν* top. I, 2, p. 101 a. Homines quum sententiam generalem ex inductione singularium sibi fingant (*πρότασις ἔνδοξος* rhet. I, 2), propositionem autem ex inductione collectam Aristoteles perinde atque Leibnitius[36]) imperfectam habuerit, perspicuum est, minime Aristotelem in opinionibus levibus sine examine acquievisse sed emen-

36) cf. de stilo supra. nouv. essais IV. c. 11.

dasse eas. Dialectica igitur ratione notiones ad perspicuitatem perduci censet estque dialectica indagatrix et tamquam ars critica ad omnium scientiarum principia viam continet ἐξεταστικὴ γὰρ οὖσα πρὸς τὰς ἁπασῶν τῶν μεθόδων ἀρχὰς ὁδὸν ἔχει l. c. cf. metaphys. *Γ.* 2. ἔστι δὲ ἡ διαλεκτικὴ πειραστική, περὶ ὧν ἡ φιλοσοφία γνωριστική, ἡ δὲ σοφιστικὴ φαινομένη, οὖσα δ' οὔ. —

Jam in scriptis juvenilibus, uti supra indicavimus, Leibnitius permagni momenti duxit ideas definitionibus defigi limitesque iis poni. Namque haud secus atque Aristoteles[37]) Leibnitius definitionibus utitur accuratis ut notiones illustrentur neu quid in iis reperiatur, quod sit obscurum ambiguumque. Quare ‚de vera methodo' »*illi ignorant* (p. 110 Erd.) *idem esse mathematice scribere quod in forma, ut logici vocant, ratiocinari et praeterea distinctionum captiunculas, quibus alioquin tempus teritur una definitione praevenire.*« cf. ad Wagner. p. 421 b. »*Es ist gewiss kein Geringes, das Aristoteles .... der erste in der That gewesen, der mathematisch ausser der Mathematik geschrieben.*« Atque alio loco Stagiritam praedicat, quum organon et Metaphysica scripserit, notionum intima magno ingenio fuisse rimatum (historia linguae charact. p. 163 b.). In libro de quo agimus termini ut definiantur optat omnes, qui quidem definiri possint (nouv. ess. I, 2 et 3, p. 219, p. 221 Erdm.) ita ut veritates definitionum ope ad prima

---

[37]) cf. definitionem justitiae supra; eth. nic. ex. gr. VI. 4. τέχνης (ἕξις τις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική) ἐπιστήμης (VI. 3. ἕξις ἀποδεικτική) φρονήσεως (VI. 5. ἕξις μετὰ λόγου ἀληθὴς περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ πρακτική) σοφίας (VI. 7. Cap. νοῦς καὶ ἐπιστήμη ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα).

principia reducantur i. e. ad propositiones identicas, quae ipsae indemonstrabiles sunt quasque perinde atque Aristoteles axiomata etiam immediata appellat, quoniam a mente quasi immediate nulla intercedente causa tanguntur. cf. an. post. I., 3. *ἡμεῖς δὲ φαμὲν . . τὴν τῶν ἀμέσων* (*ἐπιστήμην* sc.) *ἀναπόδεικτον* l. c. I. 2. *ἀρχὴ δ' ἐστὶν ἀποδείξεως πρότασις ἄμεσος, ἄμεσος δὲ ἧς μή ἐστιν ἄλλη προτέρα.* Cf. eth. nic. III. 5. . . *ἕως ἂν ἔλθωσιν ἐπὶ τὸ πρῶτον αἴτιον ὃ ἐν τῇ εὑρήσει ἔσχατόν ἐστιν . . . . φαίνεται τὸ ἔσχατον ἐν τῇ ἀναλύσει πρῶτον εἶναι ἐν τῇ γενέσει.* — Ibidem Leibnitius definitionem per genus [tamquam commune[38])] et differentiam specificam (tamquam proprium), cujus auctor est Aristoteles, contra Lockium inutilem illam declarantem defendit (n. E. III, 3, p. 304 b.), quum illius auxilio et multa possint contrahi et memoria sublevetur. Aristoteles ita docet: »Recte definientem ex genere differentiisque definire necesse est . . . patet definiendum esse ex simpliciter notioribus top. VI, 4 *δεῖ μὲν διὰ τοῦ γένους καὶ τῶν διαφορῶν ὁρίζεσθαι τὸν καλῶς ὁριζόμενον* eod. p. 142 a. *δῆλον οὖν ὅτι . . ὁριστέον . . διὰ τῶν ἁπλῶς γνωριμωτέρων*« . . . At vero quum concedat noster, saepe genus in differentiam et differentiam in genus posse mutari, prout divisiones mutentur (eod. l. nouv. Ess.; cf. ad Wagn. p. 428 a. Erd. ». . . *Kann man aus dem genere eine Differenz machen und hinwieder jenes aus dieser und . . kann man mit eben dem Rechte sagen*: *homo est rational animale als man saget*: *homo est animal rationale*«), ab Aristotele distat, qui sibi persuasit, genus differen-

---

38) Trendelenburg elementa log. Arist. p. 144.

tiamque conjuncta rerum naturae inesse. »Qui justitiam transiliens definiat habitum aequabilitatis efficientem aut aequi distributivum, peccat, transilit virtutem top. VI, 5, p. 143 a. *ἔτι εἰ ὑπερβαίνειν λέγει τὰ γένη οἷον ὁ τὴν δικαιοσύνην ἕξιν ἰσότητος ποιητικὴν ἢ διανεμητικὴν τοῦ ἴσου· ὑπερβαίνει γὰρ οὕτως ὁριζόμενος τὴν ἀρετήν.* —

Et Aristotelem quidem definitionem duplicem statuentem secutus Leibnitius distinguit inter definitiones nominalem, quae notas tantum rei ab aliis discernendae continet seu enumeratio est notarum (n. essais III. 3 p. 306; cf. medit. de cogn. p. 80 b.) et realem, ex qua rem definitam esse possibilem cognoscimus. Definitiones autem nominis non sufficiunt ad perfectam scientiam, nisi rem esse possibilem aliunde constat. Aristotelis definitio nominalis explicat, quid significet nomen seu oratio veluti quid significet triangulum. Sed vera definitio in ipsas causas inquirit nec solum rem esse quidque res sit, ut plurimae indicant, sed etiam cur res sit ostendere debet. Jtaque qui solo nomine reddit rationem, eum rei definitionem non reddere liquet; triangulum cum scimus esse, quaerimus cur sit: Analyt. post. II. 10. p. 93. b. *ὁρισμὸς δ' ἐπειδὴ λέγεται εἶναι λόγος τοῦ τί ἐσται φανερὸν ὅτι ὁ μέν τις ἔσται λόγος τοῦ τι σημαίνει τὸ ὄνομα ἢ λόγος ἕτερος ὀνοματώδης οἷον τό τι σημαίνει .. ἢ τρίγωνον.* Cf. de anima II. 2. §. 1. *οὐ μόνον τὸ ὅτι δεῖ τὸν ὁριστικὸν λόγον δηλοῦν ὥσπερ οἱ πλεῖστοι τῶν ὅρων λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ τὴν αἰτίαν ἐνυπάρχειν καὶ ἐμφαίνεσθαι. — Ὅσοι δ' ὁπωσοῦν ὀνόματι τὴν ἀπόδοσιν ποιοῦνται, δῆλον ὡς οὐκ ἀποδιδόασιν οὗτοι τὸν τοῦ πράγματος ὁρισμόν.* Top. I. 5. *Ὅπερ* (sc. *τρίγωνον*) *ἔχοντες ὅτι ἔστι ζητοῦμεν διά τι ἔστιν* an. post. II. 10. l. c.

Restat nunc ut de logica Aristotelis quid senserit exponamus. Jam puer antequam in alias inquireret scientias,[39]) cogitationibus logicis totum se dedit haeque primae inclinationes ut ipse tradit (historia ling. character. p. 162. a.), postea semper altissime infixae menti haesere. Aristotelis autem libros de logica agentes a pueris usque ad extremum vitae tempus magni aestimasse luculentissime multa testantur scripta. — Se puerum praedicamentis Aristotelis, quae appellat germanice »*Musterrolle aller Dinge der Welt*,« maxime delectasse Wagnero scribit 1696 (p. 420. a. Erd.) eorumque auxilio narrat ad exercitationem se pervenisse divisionis et subdivisionis (»*Aftereintheilung*«) atque, ut statim videbimus, in novis tent. praedicamenta contra Lockium tuetur. In scriptis juvenilibus, quae ad logicam spectant, ex. gr. in »definitionibus logicis« et »difficultatibus logicis« saepe Aristotelem respexit (cf. nov. meth. supra; nouv. ess. IV, 1, p. 339 b. *Dans ma jeunesse, lorsque j'épluchais ces choses.*) Epistula ad Bossium 1710 data[40]) ita fere scribit *si argumenta hujusmodi Aristotelico more ad formam logicam redigantur, statim concidunt. Atque ideo logicam Aristotelicam merito laudo.*« Lessingium audiamus:[41]) »Leibnitz war von Kindheit auf in diesen Waffen (i. e. syllogisticis formis) geübt und man weiss, dass er nie aufge-

---

39) „hist. linguae ch.“ p. 163 a. Erd. „quemadmodum mihi contigit, qui in logica occupatus adhuc puer nondum moralia ant physica . . attigeram.“

40) op. Dutens. tom VI. p. 189 epistula 25.

41) cf. Lessing. „Des Andreas Wissowatius...“ — Schriften. 1825 V. p. 59.

hört hat sie zu schätzen und zu empfehlen . . . Noch in seiner Theodicee sagt er: ». . . . so sehr auch heut zu Tage der gemeine Haufe der Neueren die Logik des Aristoteles verachtet, so muss man doch bekennen, dass sie untrügliche Mittel und Wege zeigt, den Irrthümern zu widerstehn.«

Jam in novis tentaminibus Lockium, qui Aristotelis logicam, syllogismos ejusque regulas tamquam inutiles decipientesque insectatur, refutat. Etenim quod dicit, homines modo naturali ratiocinari posse, nihil conficit, alioquin arithmetica etiam esset inutilis, quia non nulli recte calculant scribere nescientes (nouv. E. IV, 17, p. 396b.). Ad Wagn. p. 432b.: »*Es kann auch ein vernünftiger Mensch mit einer natürlichen Arithmetik die Nothdurft ausrechnen, sollte deswegen die Rechenkunst nicht sein?*« et p. 421: »*Demnach stehe ich in den Gedanken, dass ein schlechter Kopf mit den Hülfsvortheilen und deren Uebung es dem Besten bevorthun könnte . . . Die herrlichen Ingenia aber würden unglaublich weit gehen können, wenn die Vortheile dazu kämen.* — Tantum vero abest ut logica, uti Lockio placuit, homines fallantur, ut quia carent illa, decipiantur (III, 10, n. E.) nec quod difficiles sunt ejus regulae, logica est rejicienda, cf. ad Wagn. p. 425a.: »*Was höher in der Logik wie in der Arithmetik, gehöret vor die so bereits in Sachen und Sprachen weit kommen. Bekannt ist, dass Aristoteles von der Ethik . . gesagt, sie gehörte nicht für Schüler . . . so ich verstehe vom höhern Gebrauch dieser Wissenschaft, indessen wird Aristoteles weder die civilitatem morum Erasmi . . der Jugend nehmen wollen . . .*« et q. s. — Vocat his verbis

ad Arist. ethic. nic. I, 1: *διὸ τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος.* Causam vero Aristoteles ipse indicat primum quia *ἄπειρος τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων,* deinde *ἔτι δὲ τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικὸς ὢν ματαίως ἀκούσεται καὶ ἀνωφελῶς .. ἐπειδὴ τὸ τέλος ἐστὶν οὐ γνῶσις ἀλλὰ πρᾶξις.* — Syllogismorum autem inventio, quod nullius esse usus Lockius credit, quia Deus non Aristoteli demum concesserit, ut homines rationis redderet participes (cf. Lockii essay concerning h. u.... IV, 17, § 4), Leibnitio quidem gravissimi videtur momenti, quia syllogismi sint species quaedam mathematicae universalis; quamquam non semper e re sit, syllogismis uti (n. E. IV, 17), cf. ad Wag. 425b.

Nec minus fundamento caret Lockii opinio (III, 10 n. E.), Aristotelis praedicamenta esse inutilia vanaque, e re magis est emendare illa, quam irridere. Jam supra attulimus, Leibnitium praedicamenta laudibus ornasse; nostro quidem loco decem Aristotelis categorias ad quinque reduci posse putat tamquam primarias, nimirum ad:

substantiam
qualitatem
quantitatem
actionem et passionem
relationem.

Enunciationis nexu soluto *κατηγοριαι* Aristotelis oriuntur, *κατηγορεῖν* autem nihil aliud significat apud Aristotelem, quam enunciare. Aristoteles categorias, quas ex grammaticis orationis rationibus invenisse videtur,[42])

---

[42]) Trendelenburg. „elementa" ed. V. p. 56 p. 57.

ita dividit, ut omne quod mens concipit aut sit *οὐσία*, substantia, aut in substantia, accidens *συμβεβηκότα*. Decem categorias enumerat in *κατηγ*. C. 4. *τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν* (nexum) *λεγομένων ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει ἢ ποσὸν* (quantum) *ἢ ποιὸν* (quale) *ἢ πρός τι* (relatio) *ἢ ποῦ ἢ ποτὲ ἢ κεῖσθαι* (situs) *ἢ ἔχειν ἢ ποιεῖν ἢ πάσχειν*.

Deinde Lockius fallitur, quum Aristotelis regulae, quae praecipit, in syllogismo haud recte posse concludi, si praemissae sint particulares omnes, errorem credat inesse. Immo in omnibus syllogismis oportet aliquem terminum esse universaliter affirmantem (n. E. IV, 17, p. 398); cf. Aristotelem: *ἔτι τε ἐν ἅπαντι δεῖ κατηγορικόν τινα τῶν ὅρων εἶναι καὶ τὸ καθόλου ὑπάρχειν ἄνευ γὰρ τοῦ καθόλου ἢ οὐκ ἔσται σολλογισμὸς ἢ οὐ πρὸς τὸ κείμενον ἢ τὸ ἐξ ἀρχῆς αἰτήσεται* (i. e. petitio principii) anal. pr. I, 24.

Eodem loco Leibnitius se olim indicasse (autrefois p. 398 b.) profitetur, Aristotelem habuisse cur non uti vulgo enuntient concluderet,

non ita:	B est C,	sed:	C est in B
	A est B,		B est in A
ergo	A est C,	ergo	C est in A.

Spectat nimirum ad »difficultates logicas«, quibus »Aristoteles, inquit, ipse viam idealem secutus videtur, nam dicit animal inesse homini nempe notionem notioni, quum alias potius homines insint animalibus« (p. 103 b. Erdm.). Aristoteles ex trium terminorum ratione tres constituit figuras et in divisione principio interno subsumtionis, quod vocant, notionum nitebatur.[43]

[43]) Trendelenburg. „logische Untersuchungen" 1862. II. 310.

Primam autem et gravissimam figuram (*τὸ σχῆμα πρῶτον*) ita fere describit *εἰ το A κατὰ παντὸς τοῦ B, καὶ τὸ B κατὰ παντὸς τοῦ Γ, ἀνάγκη τὸ A κατὰ παντὸς τοῦ Γ κατηγορεῖσθαι* (i. e. praedicari) anal. pr. I, 4.

Jam de idènticis, quum disserat Leibnitius, (n. E. IV., 2. p. 339 a.) principio contradictionis inesse dicit enuntiationem hanc: inter verum et falsum haud est medium. Jtem Aristoteles, quod contradictorie sit oppositum nihil medii pati intercedere velut omnis homo albus, non omnis homo albus, analyt. posterior. I, 2. *ἀντίφασις δὲ ἀντίθεσις* (oppositio) *ἧς οὐκ ἔστι μεταξὺ καθ' αὑτήν.* de interpretat. C. 7. *ἀντικεῖσθαι μὲν οὖν κατάφασιν* (affirmationem) *ἀποφάσει* (negationi) *λέγω ἀντιφατικῶς τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τῷ αὐτῷ ὅτι οὐ καθόλου οἷον πᾶς ἄνθρωπος λευκὸς — οὐ πᾶς ἄνθρωπος λευκὸς* .... cf. metaph. *ι.* p. 201. ed. Brandis. *ἀντιφάσεως δὲ μηδέν ἐστι μεταξύ, τῶν δὲ ἐναντίων* (contrariorum) *ἐνδέχεται.* Leibnitius in »definit: logicis« Nro. VI. p. 100 »Contradictoriae . . . non possunt simul esse vera nec simul esse falsa. . . .

Postremum haud negligamus, quae Leibnitius de conversionibus agat, Aristotelis doctrina subniti: nouv. ess. IV 2 et »def. logicae« §. 8 §. 9 (p 100 Erd.) »*Si A excludit B, vicissim B excludit A, hoc est fundamentum conversionis simpliciter factae. Si nullum A est B, etiam nullum B est A et si quoddam A est B, etiam quoddam B est A. — Conversio per accidens nascitur, si A includit B. Omne A est B, ergo quoddam B est A.*« Jtaque conversiones simplices convertunt a) universalem negativam, b) particularem affirmantem at conversio per accidens ad universalem affirmativam

spectat.[44]) — Aristoteles autem docuit propositionem, quae universe inesse neget, terminis permutatis converti, universe vero affirmantem ex parte, earumque quae ex parte enuncientur affirmantem quidem ex parte converti necesse esse, negantem vero non necesse esse; — id quod facile exemplis allatis intelliges. — Analytic. prior. I. 2 .... *τὴν μὲν ἐν τῷ ὑπάρχειν καθόλου στερητικὴν* (negantem) *ἀνάγκη τοῖς ὅροις ἀντιστρέφειν* (quod est converti cf. elementa p. 77.) .. *τὴν δὲ κατηγορικὴν* .. *ἐν μέρει* .. *τῶν δὲ ἐν μέρει τὴν μὲν καταφαιτκὴν ἀντιστρέφειν ἀνάγκη κατὰ μέρος, τὴν δὲ στερητικὴν οὐκ ἀναγκαῖον* (*οὐ γὰρ εἰ ἄνθρωπος μὴ ὑπάρχει τινὶ ζῴῳ, καὶ ζῷον οὐκ ὑπάρχει τινὶ ἀνθρώπῳ*). —

His omnibus expositis, haud in animo nobis est, silentio obtegere, Leibnitium tunc temporis Aristotelem non eodem quo antea honore laudasse. Ita Hanschio, quum Lockii illud, intellectum esse tabulam rasam, in quam sensus operentur, insectetur, anno 1707 scribit: »*Longe ergo praeferendae sunt Platonis notitiae innatae, quas reminiscentiae nomine velavit, tabulae rasae Aristotelis et Lockii aliorumque recentiorum, qui ἐξωτερικῶς philosophantur*« p. 446a. Erd.).

Jam in specimine de metaphysica 1686 scripta (apud Grotefend. epistolarum commercii p. 181) Aristotelem dicit, qui nihil esse in intellectu nostro quod non fuerit in sensu contenderit, cum judicio vulgari tantum consensisse, ut sit! Aristotelis, quum Plato profundius inquirat. »*Il a soutenu que rien n'est dans nostre entendement qui ne vienne des sens. Cela s'ac-*

---

44) cf. etiam Kant. „Logik" ed. Jäsche p. 185.

corde d'avantage aux notions populaires comme c'est la manière d'Aristote au lieu que Platon va plus au fond.«[45])

Cf. etiam apud Guhrauer. »Leib. Deut. Schriften« II., 330 »*Daher er* (i. e. Lockius) *mehr Aristotelis tabulam rasam als Platonis Einpflanzungen angenommen.*«

Haud nobis errare videmur, si contendimus, Leibnitium Stagiritae tantum quia immerito ei »fictionem« (nouv. essais II., 1 p. 222) tabulae rasae imputavit, objecisse, quod de animo humano philosophatus sit *ἐξωτερικῶς* i. e. communi judicio accomodate seu leviter. Quid enim? Num si de alia agitur quaestione noster Aristotelis sententias umquam ducit leves? Nonne ipse identidem, ut ostendimus, profundiorem Stagiritam, quam homines putent, praedicat? — Jam vero Leibnitius magis quia tunc moris erat decantatum illud effatum »nihil esse in intellectu quod non fuerit in sensu« Aristoteli obtrudisse videtur, quam quia doctrinis inest Stagiritae. In libro de anima (III. c. 4 § 11) intellectum censet potentia quidem esse intelligibilia, (*τὰ νοητὰ*) non vero actu, antequam cogitet; aeque se habere atque tabulam, in qua nihil sit actu scriptum . . *δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν πρὶν ἂν νοῇ. δεῖ δ' οὕτως ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ.* Ex quibus verbis patet, Aristotelem minime tabulam inertem vacuamque mentem duxisse immo vero non nisi comparat mentem tabulae (*γραμματείῳ*).

---

45) Ex quo loco suspicari licet, Leibnitium non ideo tantum quia ad Hanschium Platonicum 1707 scripserit Aristotelem minore laudasse honore.

Quemadmodum enim tabula, quae nihil in se habet scriptum, δυνάμει non ἐντελεχείᾳ est liber ita intellectui idearum concipiendarum capaci ideae δυναμει tantum competunt; possessio vero haud est ingenita. Quae cum ita sint Leibnitius cum Aristotele magis quam cum Platone consentit, qui »recte quidem censet, formarum locum animum esse, tamen non actu sed potentia formae sunt« i. e. facultas notionum concipiendarum inest menti non possessio. § 4 l. c. »καὶ εὖ δὴ οἱ λέγοντες (Platonem tangit) τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν πλὴν . . οὔτε ἐντελεχείᾳ ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἴδη.

Hegel: »Gesch. der Ph.« (ed. Michelet. 1833 p. 386 II. vol.) »Man übersieht alle Gedanken des Aristoteles und fasst nur solche äusserliche Vergleichung auf;« Trendelenburg. comment. p. 485 et 486 »Cave ne mentem tabulam rasam cogites . . . . tabula literaria non inertiae, qua per se omni vi carere videatur, imago est, sed potius facultatis, qua suscipiendi est capax.« —

Potest quidem, ut Leibnitius Platoni extremo vitae tempore magis quam Aristoteli faverit[46]) sed dubium valde videtur, num in suis Platonis magis quam Aristotelis insint doctrinae. —

Anno 1710 commentationem scripsit egregiam de anima brutorum. Ibidem, quum discrimen inter perceptiones brutorum et hominis explicet, ad Aristotelem vocamur. Consecutiones exponit loco illo (p. 464 Erd.) empiricas communes nobis esse cum brutis quia

---

[46]) Ad Bourguet. 1714. „En effet de tous les anciens Philosophes Platon me revient le plus par rapport à la Metaphysique (p. 723 a. Erdm.)

»*in eo consistunt ut sentiens ea, quae aliquoties conjunctà fuisse expertum est, rursus conjunctum iri expectet.*« »*Ita canes* (465 a.) *aliquoties vapulantes, si quid displicens fecerint rursus verbera expectant si idem faciant.*« Eodem pláne modo agit nouv. ess. II. 1 p. 237 b.

Jtaque hoc commune est hominibus empiricis cum brutis; saepe fit quum haec idearum quam vocant associatio, (nouv. ess. II 32 p 296 a) quae haud spontanea est nec finem spectat, per accidens (uti dicit Leibnitius p. 465 — Aristotelis *κατὰ συμβεβηκός*) sit conjuncta, ut empirici perinde atque bruta decipiantur. Homo vero, quatenus non empirice sed rationaliter agit (p. 465 a) haud experientiae ex memoria ejusdem rei factae nec solis experimentis fidit, sed procedit, ut Leibnitius dicit, per rationes a priori; i. e. per causas cognoscit, quippe quae *προτεραι* sint *φυσει.*

Similiter Aristoteles *μνήμης* memoriae, quae nullum postulat studium, complura statuit animalia esse consortia, multasque memorias unam efficere experientiam, ex qua sive ex omni universali in animo quiescente, — quod in rebus praetervolantibus inest, — uno tamquam praeter multa, quod in omnibus insit unum et idem, principium fieri artis et scientiae.

Reminiscentiam vero, nulli ex omnibus animalibus praeter homini concessam esse indicat. — Etenim quum in *ἀναμνησει* insit quaerendi vis et labor, brutis haud competit. Quare Aristoteles illam comparat ratiocinationi, syllogismo et disquisitionem quandam esse intellegit, quam iis solis natura tribuerit, quibus deliberandi competit ratio. Afferamus locos, qui rem istam illustrant.

ἀν. ὑστ. B. 19. 99. b. *ἔχει* (sc. *τὰ ζῷα*) *δύναμιν σύμφυτον κριτικὴν, ἣν καλοῦσιν αἴσθησιν· ἐνούσης δ' αἰσθήσεως τοῖς μὲν τῶν ζῴων ἐγγίνεται μονὴ τοῦ αἰσθήματος* (illud »unum idemque in omnibus« de quo supra) *τοῖς δ' οὐκ ἐγγίνεται . . . ἐκ δὲ μνήμης* (p. 100 a.) *πολλάκις τοῦ αὐτοῦ γινομένης ἐμπειρία· αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι ἀριθμῷ ἐμπειρία μία ἐστίν. ἐκ δ' ἐμπειρίας ἢ ἐκ παντὸς ἠρεμήσαντος τοῦ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ, τοῦ ἑνὸς παρὰ τὰ πολλά, ὃ ἂν ἐν ἅπασιν ἓν ἐνῇ ἐκείνοις τὸ αὐτό, τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης· ἐὰν μὲν περὶ γένεσιν τέχνης ἐὰν δὲ περὶ τὸ ὄν, ἐπιστήμης.* Cf. metaph. I. 1. — De reminiscentia agit in libro *περὶ μνήμης και ἀναμνήσ.* c. 2. p. 453 (cf. Trendelenburg. comm. de anima p. 168) ita fere: *διαφέρει δὲ τοῦ μνημονεύειν τὸ ἀναμιμνήσκεσθαι οὐ μόνον κατὰ τὸν χρόνον, ἀλλ' ὅτι τοῦ μὲν μνημονεύειν καὶ τῶν ἄλλων ζῴων μετέχει πολλά, τοῦ δ' ἀναμιμνήσκεσθαι οὐδὲν ὡς εἰπεῖν τῶν γνωριζομένων ζῴων* (quatenus sunt cognita) *πλὴν ἄνθρωπος, . . καὶ ἔστιν* (*τὸ ἀναμιμνήσκεσθαι*) *οἷον ζήτησίς τις· τοῦτο δ' οἷς καὶ τὸ βουλευτικὸν ὑπάρχει, φύσει μόνος συμβέβηκεν· καὶ γὰρ τὸ βουλεύεσθαι συλλογισμός τις ἐστιν.* — Ita homines non solum sensum, (*αισθησιν*) imaginationem (*φαντασιαν*) memoriam (*μνημην*) habent, verum a memoria ad rationem veniunt: metaphys. I. 1. *τὰ μὲν οὖν ἄλλα ταῖς φαντασίαις ζῇ καὶ ταῖς μνήμαις, . . τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ τέχνῃ καὶ λογισμοῖς.* —

Epistula 1711 ad Bierlingium data de causa finali, quam, ut supra ostendimus, in rerum natura regnare efficientesque causas dirigere perinde atque Aristoteles sibi persuasit, his verbis scribit: (p. 678 Erd.) »*Mechanismi fons est vis primitiva . . . ita fit ut causae effi-*

cientes pendeant a finalibus et spiritualia sint natura priora (Aristotelis πρότερον τῇ φύσει, a sensibus remotius ποῤῥώτερον τῆς αἰσθήσεως anal. post. I 2) *materialibus.*«

Jam sub ipsum transitum ad mortem Christophoro Wolfio[47]) scribit, se eum eo magis aestimare, quo pauciores sint, qui veterem doctrinam colant (cf. introd.) sententias autem philosophorum Graecorum ex ipsis elici fontibus studium censet utile »*ad pondus dandum novis veritatibus, quae plerumque antiquis conspirent.*« Atque in altera epistula 1712 18. Oct. (Dut: V 448) »saepe optavi, veteres Aristotelis interpretes in compendium contrahi. Sed hodie nesciunt homines, aliquid in illis latere scitu dignum.« — Jta Leibnitius in eruditione ex qua proficiscebatur usque ad vitae finem permansit. Ipse in specimine dynamico receptam a tot seculis philosophiam Peripateticorum censuit explicandam potius esse novisque veritatibus augendam, quam rejiciendam. (Cf. quae supra attulimus.) Anno 1716 14 mens. Nov. mortem obiit vir magnus.

Etiamsi multa sunt, quae Leibnitius non tam invenerit quam instaurarit et perfecerit, tamen de ejus laudibus nihil detrahi potest. Suum enim est ingenium illud divinum, quo omnes radios in doctrinis priorum fulgentes in unum tamquam centrum philosophiae collegit. Nemini profecto asseclae serviles odiosiores sunt quam Leibnitio,[48]) at non minus ab iis abhorret, qui

---

47) cf. supra introd. opp. Dut. V, 447.

48) „Quo (nimio sc. et servili in philosophia studio (cf. notata circa vitam Cartes. opp. Dut. V. 393) nihil magis profectui scientiarum

»se solos rem acu tetigisse existiment«[49]) — Prae ceteris fere scientiis philosophia inventis nititur priorum neque e re ejus est, eversis funditus fundamentis omnibus nova prorsus aedificari sed potius materiam lapidesque, qui neglecti jam extant, conferri ad novum solidiusque extruendum aedificium. Quam ob rem saepe veteris philosophi cogitata in recentioris doctrina auctore forsan inscio involuta invenies. — »Le présent est plein de l'avenir et chargé du passé.« (Av. prop. n. E. p. 197 b. monadol. § 22 p. 706 b.)

Quae supra ex Leibnitii libris petiveram, augentur *inedito* quodam, quod inter ea quae Leibnitius de lingua universali egit, in bibliotheca Hannoverana asservatur. Concessit autem mihi Trendelenburgio auctore C. J. Gerhardtii, doctissimi scriptorum Leibnitii mathematicorum editoris, qui id ante aliquot annos transscripserat, benevolentia. — Quo sit tempore scriptum, non est additum, verosimile autem seriore aetate; certe post annum 1673, cum Aristotelem laudet, quod contra vacuum disputavit. Anno enim 1673, 26. Mart. (cf. Guhrauer. Deutsche Sch. I. p. 278, 286) Leibnitius Joanni Friderico ita scribit: »*In philosophia naturali bin ich der erste vielleicht, so vollkommen demonstriret: terram moveri, item, dari vacuum.*«

Inscribitur autem: »*in quibus Aristotelis philosophia probanda vel improbanda sit.*«

---

obstat, quia constat scientias incrementum accepisse varietate itinerum quae in veritate investiganda diversi iniere."

[49]) Ita de Cartesianis.

Aristotelis doctrina notior est quam ut brevitatem nostram morari debeat; quia tamen tantopere variant judicia de hoc viro multique inprimis juvenes inter tot laudatores contemptoresque perplexi haerent, nos pro moderatione nostra dicemus opinor, quae omnibus aequa sentientibus satisfacere possint. Aristotelem constat olim fidei hostem hàbitum, postea in scholas receptum ita venerationi fuisse, ut non alia dogmata tuendis fidei articulis aptiora viderentur. Hunc non Averroes tantum, sed et D. Thomas aliique insignes viri pro humani ingenii miraculo habuere, eundem vero hodie passim etiam pueri rident. Dicam quid mihi videatur, qui primis annis peripateticam disciplinam hausi, qui adultus Aristotelem non perfunctorie inspexi, qui tamen sentiendi libertatem etiam puer exercui, et postea mathematicis disciplinis atque experimentis sum delectatus: deinde extra Academias positus vitaeque genus longe aliud secutus, non sum ex eorum numero quorum autoritas in Aristotele periclitatur neque contra inter eos censeri possum qui dogmata veterum et doctrinas in scholis receptas ignorant et ne male ignorare videantur irrident. Primum ego comperi Ciceronem et D. Thomam aliosque laudatissimos viros non injuria Aristotelem laudasse. Quae in doctrina morum scripsit satis pulchra sunt et ex usu vitae petita et Jurisconsultis perutilia ideoque juvenibus cognoscenda qui ad negotia accessuri sunt, etsi hominem ad sublimem illam virtutem non forment, quam Plato et Epictetus sibi proposuisse videntur, et quae proxime accedit ad perfectionem christianam. Quod eo minus miror, quia Moralis scientia proles Metaphysicae est, et qui de provi-

dentia Dei atque immortalitate animae non optime sentit, nimium tribuere cogitur huic vitae. In Politicis autem et Rhetoricis plane regnat Aristoteles longeque omnes Veteres post se relinquit qui ad nos pervenere. In humanos quoque affectus profunde satis introspexisse videtur. At in organo specimen profecto edidit ingenii magni inveniendarumque veritatum abstrusarum et demonstrationum capacis. Nam si ut credo ab ipso primum reperta sunt theoremata illa de formis enuntiationum et syllogismorum, fatendum est rem magnam praestitisse jactis scientiae illius primis fundamentis, quae caeteras omnes quodammodo animat et certas reddit. De arte tamen ipsa inveniendi et demonstrandi non satis liquidas notiones habuisse videtur, quod posteriora ejus Analytica satis ostendunt, quorum praecepta obscura satis et confusa sunt nullaque exemplorum luce juvantur, adeo ut multi peripatetici non indocti, cum nullum potissimae illius ab Aristotele decantatae demonstrationis exemplum in ipso Aristotele invenire sibi viderentur, crediderint ideam quandam sublimioris scientiae philosophum proponere voluisse, quae supra humanam sortem posita esset. In quo eis non assentior, possem enim ostendere innumera exempla demonstrationum, quibus Aristotelicae conditiones recte intellectae quadrant, quamquam fortasse Aristoteles ipse earum vim non satis intellexerit, nam ubi maxime demonstrandi locus erat, ibi minime demonstrat, et alicubi sese non admodum in Mathematicis versatum ostendit. Physica Aristotelis triplex est: generalis, media, specialis. Generalis libris Acroaseos continetur, qui licet confuse admodum scripti sint et inania quaedam evanidae subti-

litatis nonnumquam misceantur, fatendum est tamen sententias ibi in summa praeclaras esse. Nam ut taceam formas illas hodie passim damnatas aliquid veritatis in recessu habere, illud imprimis laudo quod continui divisionem in infinitum asseruit et contra Atomos et Vacuum disputavit. Sententias horum octo librorum Geometrico more ordinatas dedit Abdias Treu Mathematicus non vulgaris, licet demonstrationes alicubi infirmiores esse non diffiteri videatur. Media Aristotelis physica, quae libris de generatione et corruptione, de Coelo et Meteoris continetur, quibus libellus de sensu et sensibili aliique similes addi possunt, exigui admodum momenti videtur; velle enim omnia sublunaria ex quatuor primarum qualitatum atque inde ex urgentium Elementorum combinatione explicare, lusui ingenii quam seriae doctrinae propius videtur, praesertim cum non dixerit, in quo interior harum qualitatum natura consistat. Et tamen tantopere commentum hoc Saleno placuit, ut eo totam Medicinam infecerit, quamquam quatuor Elementa aliquid veritatis in se habere non sit diffitendum, saltem enim certum est quatuor corporum massas magnas apud nos sensu deprehendi, ignem, quem lux solaris spargit, aërà qui hunc globum nostrum ambit, aquàm vero et terram in quos globi superficies dispescitur. Sed corporibus aliis gravitatem, aliis levitatem natura insitam tribuere, sublunaribus motum a centro et ad centrum, coelestibus circularem, coelestia omnis mutationis experta asserere, totum mundum componere ex aliquot pelliculis instar cepae aut aliquot orbibus crystallinis sese ambientibus, quibus ut clavi aurati curruum nostrorum uraniscis infixae sint stellae,

inferioribus erraticae, supremo fixae, et his orbibus praefici intelligentias quarum unicum officium est eos instar trusatilis molae versare, summam denique intelligentiam Dei nomine honoratam extimo orbi seu mobili primo alligari, haec profecto multis modis absurda et indigna philosopho, divina vero magnitudine indignissima sunt, ut mihi sphaera Archimedis vitrea toto coelo Aristotelico et pulchrior et ingeniosior videatur. Difficulter àdducor, ut credam Aristotelem talià serio sensisse, sed cum sectam condere vellet, audacter de his rebus pronuntiare voluit, ea falsa esse nihil unquam certum (de illis?) ab hominibus repertum iri. Recte quidem in Metaphysicis et postremo physicorum ad primum Motorem enititur, sed parum decretis suis congruenter. Nam si Elementa per se sursum ant deorsum tendere possunt, quidni per se orbes in gyrum ferantur. Unde quidam discipulorum Nonam càeteris àddidere intelligentiam sublunarem, quae Elementa incitaret, et nonnulli credidere, intellectum illum agentem in nobis, quem Aristoteles extrinsecus advenire et separabilem esse scripsit, esse hanc sive intelligentiam sive animam Mundi sublunaris. Sed ego arbitror de his rebus Aristotelem perfunctorie scripsisse, nulla veritatis reperiendae spe. Quae de anima reliquit, plus habent subtilitatis, addo et plusculum veritatis, obscuriora tamen et minus plena atque absoluta videntnr. Et illud intellectus agentis dogma merito supectum habetur, quasi tantum communem omnibus Mentem Aristoteles immortalem agnoverit, propriam cujusque animam vero mortalem. Postremo quae in speciali physica, inprimis de

Animalium generatione ex partibus dedit philosophus multa praeclara continent, quibus Harvaeus ipse plurimum tribuebat. Unde apparet praestanti ingenio fuísse et de scientiis praeclare meritum quibus serio incubuit.«

VITA.

Natus sum Danielis Jacoby Johannisburgi, in oppidulo Borussiae orientalis d. IV m. Januarii anno hujus saeculi XLIV patre Danielo, mercatore, quem adhuc gaudeo viventem, matre Minna e gente Fuerst, quam fato ereptam mihi praematuro etiam nunc lugeo. Fidei addictus sum mosaicae. Literarum elementis in schola civica imbutus, puer fere duodecim annorum Regiomontanum pater me misit, ubi gymnasium Kneiphofianum per unum tantum annum frequentavi, quum interim Berolinum pater sese contulisset. Ibi receptus sum in gymnasium Berolinense, directore Bellermann, viro egregio. — Examine publico probatus vere anni MDCCCLXII ad universitatem accessi Heidelbergensem, ut juris prudentiae navarem operam. Ubi postquam per semestre unum versatus sum, in academiam me contuli Berolinensem, cujus civibus adhuc sum adscriptus. Et per duo quidem semestria juris disciplinae me dedi tum vero totum me philosophiae et philologiae studio dare constitui.

Heidelbergae scholas frequentavi virorum clar. Vangerow et Goldschmidt; Berolini docentes audivi:

Bruns, Droysen, Gneist, Haupt, Jordan, Kirch- Mommsen, Muellenhoff, Steinthal, Trendelenburg, quibus viris optime de me meritis gratias ago quam possum maximas.

Per quinque semestria interfui exercitationibus philosophis Trendelenburgii, cujus quantum disciplinae debeam, semper mihi sum conscius.

THESES.

---

1. Injuria Schleiermacher. doctrinam ἐκπυρωσεως ab Heraclito abjudicavit.
2. In Oed. Col. vers. 1075 seq. veram esse librorum scripturam contra Elmsleium aliosque cum Hermanno sentio.
3. Sublimitatis sensus mixtus est ex dolore infirmitatis nostrae et gaudio animi sublationis.
4. Haud recte judicant, qui Trachinias Sophocle ducant indignas.
5. Inter Anaxagoreas infinitas ὁμοιομερειας et Leibnitii de infinitis monadibus doctrinam ratio quaedam intercedit (cf. Leibn. Hypoth. nov. phys. § 43).